CARMINA PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI.

PARMÆ, apud Galeatium Rosatum. *Superiorum Consensu.*

BIBLIOPOLA LECTORI.

HÆc Pacifici Maximi Carmina diù à nobis, sed frustrà semper conquisita, tandem apud Illustrissimum Virum Antonium Magliabechum, Magni Ducis Æxruriæ, Bibliothecarium reperta, & nobis perhumaniter communicata in lucem edimus. Authographum ex quo Libellum exscripsimus extat apud ipsum Magliabechum sexto supra ducentesimum ab hinc Anno Florentiæ Typis impressum, & ideò latinæ Poeseos amatoribus rem gratam facturos putauimus, si hunc eximiæ elegantiæ Poetam, & sui nominis verè Maximum, ex antiquitatis latentibus tenebris ad litterariam vitam reuocaremus. Quia verò vt Elegorum præsertim illius temporis mos ferebat, sæpè in suis Carminibus procaciter luserat, cuncta omisimus, quæ visa sunt bonis moribus officere, & ad honestatem non collimare, quapropter nonnullis Elegijs in prima parte prætermissis, licet non seruato Centum Elegiarum numero, seruauimus tamen Nomen Hecatelegij, vt quominus fieri posset Libellus noster ab Authographo discreparet; & quidem ipsius Poetæ Iudicio eius scripta expurgauimus, pluries enim monet Lectores, vt abstineant à legendo ea quæ possunt eorum animis nocere, & præcipuè lib. 1. Eleg. 2. ad Lectorem aliqua delenda expressè suadet his Versibus.

Si benè susperidis, Trutina si ponis in æqua
  Cedere perspicies scripta proterua bonis.
Quinque, decemue meo si sunt mala Carmina Libro
  Millia tot non sunt reijcienda bona.

Ex quo conijcere satis possumus, hunc Poetam Calamo quidem, & tempori lasciuo Carmine indulsisse, sed Castissimam mentem à prophanis amoribus, quos identidem scriptitabat fuisse dissimilem, vt ipsemet manifestè affirmat lib. 7. Eleg. 2. In Maledicum.

Distat ab hoc nostro mea tàm natura libello
  Quàm tua cùm Verbis facta propinqua manent.

Cæterum amice lector, si Elegos Eius in manu sumpseris, inuenies acutos, elegantes, breues, & aliquando facetos, semper tamen suaues, ea suauitate, quæ cum delectatione aculeos relinquit, in animis Auditorum. Quidquid verò vtilitatis vel oblectamenti ex eis perceperis, totum noueris referendum eidem Illustrissimo & eruditissimo Antonio Magliabecho, qui cùm scientiarum omnium tùm antiquitatis diligentissimus est Inuestigator & Custos, nisi enim eius beneficio fuisset hic Poeta seruatus, certè vetustas, vt alios fortasse multos, obruisset, Vale.

✠ 2 Ego

EGo infrascriptus de Ordine, & Commissione Reuerendissimi Patris Inquisitoris Parmæ vidi, & attente legi Librum cui Titulus *Pacifici Maximi Poetæ Asculani Carmina*, quibus decem libri Elegiarum, & duo Poemata cum nonnullis alijs Opusculis soluta oratione conscriptis continentur, additâ item eius vitâ, & cum nihil repererim Fidei, vel bonis moribus contrarium; Digna censeo, vt iterum typis dentur; In quorum fidem &c.

Datum Parmæ in nostro Conuentu S. Mariæ Quarterij hac die 9. Augusti 1691.

Frater Petrus Paulus Manzanus à Parma Tertij Ordinis Sancti Fancisci S.T.D. Collegiatus, Examinator Synodalis, & in eodem Conuentu Studiorum Regens &c.

Attenta supradicta attestatione

REIMPRIMATVR

Fr. Io: Carolus Falconi de Firmo Inquisitor Generalis S. Officij Parmæ, ac Burgi S. Donini &c.

REIMPRIMATVR

Iulius dalla Rosa Vic. Gen.

Vidit Nicellus Præses Cameræ.

post 184.

ut Ouidianum genium in Pacifici ingenio minimè desideres, Qua in Carminis perspicuitate omnes quidem cupere vidimus, plurimos ausos esse, potuisse omninò paucos. Ornatur quoq; Pacificus laudibus Exterorum & testimonijs. Gregorius Lilius Gyraldus de Poetis sui temporis dialogo primo post Philelphum, *Pacificum Asculanum vult in numero Poetarum haberi*, quod non modica laus est; plures enim in Poetis à sapientibus non habentur, quos vulgi ruditas, atq; imperitia, ex veritate pauca, ex opinione multa æstimantis in Poetarum cœtu recenset. Et Paulo post: *fuit in Elegia neq; infans, neq; elinguis*. Franciscus Pamphilius in suo Piceno, Pacificum Poesi *insignem* appellat.

Carmine Pacificus Vates insignis habetur,
Absumpsit dulces nunc Heliconis aquas.

Io: Rauisius Textor inter decerpta ex nobilissimis Poetarum Epitheta, plurima Pacifici suo Epithetorum operi inseruit. Iacobus Haddius de illustribus Scriptoribus non ecclesiasticis, Pacifici Maximi carmina, *vt bona, & nobilia* commendans, hæc porrò subijcit: *Ob varietatem, numerumq; per magnum Carminum, præsertim Elegiarum, Maximus mihi videtur inter magnos scriptores referendus.* Camillus verò Damianus præter id, quod ab illo pridem audiuimus, Pacificum prædicat, in Vatum choro locum Principem obtinere, ornatumq; fuisse tantà rerum, & vetustatis omnis peritià, vt quidquid esset ab orbe condito, præclariùs gestum, breui horæ spatio ex ordine denarraret; tantà omnium ferè artium scientià, vt quidquid lateret cunctos, cognitione vnus attingeret; tantàq; demum memoriæ præstantià vt quidquid, vel legeret, vel audiret, singillatim verbis totidem recitaret. Præterea de Pacifico perhonorificè meminerunt Gesnerus in Bibliotheca Vniuersali; Simlerus in compendio eiusdem cum additamento; Duosa in...... Vossius lib. 3. c. 8. de latinis historicis, in quorum ordinem ipsum adscribit. Ad summam, ne de singulis agam, Poeta noster apud virum quemq; literatissimum sibi coæuum magno in honore fuit, si vnum demas Angelum Politianum.

Verùm obtrectatio Politiani nihil obfuit Pacifici dignitati. Contra momenti plurimum fecit erga ipsum amor Laurentij Medicis, Dynastarum Camertium, Nicolai V. Pij II. & Sixti IV. Maximorum Pontificum, Mathiæ Pannoniæ, atq; Alphonsi, & Ferdinandi vtriusq; Siciliæ Regum, qui ad honores eum non modicos euexere, ob eiusq; in Poetices disciplinà excellentiam, Apollinari laureà donarunt, id olim referente nobis Ephœbis Spino Salutio, rerum Asculanarum in senioribus scientissimo. Ego autē in fronte Hecatelegij Bononiēsibus ty-

pis

pis excusi senilem Pacifici effigiem inspexi, laureâ Corollâ in signitâ. Hos inter Principes viros Alphonsum fuisse, censeo, quantum coniecturâ assequi possum, qui Pacificum in ordinem suorum Equitum cooptauit, quorum insignibus non nisi claritudine generis ornabantur, & virtutis merito spectatissimi; ille siquidem honestissima sub eo Rege stipendia meruit vt L. 3. Elg. 8. fatetur, cui nonnullas naturâ, & arte munitissimas arces vi cepit; captasq;, ab hostibus postea circumsidentibus eâ defendit constantiâ, vt obsidionem iamdiu factam, postremò soluere cogerentur; in his autem arcibus non nemo Syracusarum Vrbem annumerat. Cœterum Pacifico nihil suâ Patriâ amantius, cuius flumina, riuos, montes, pagos in suis lucubrationibus sæpè celebrat; idque potissimum patet ex Libri 2. Elegiâ tertiâ ad Tullum, vbi egregia ferè omnia Asculanorum facinora elegantissime attingit. Suscepit à Iusta Vxore filium vnigenam nomine Hippolytum, quem decennem morte præreptum amantissimè deflet. Ipse verò ætatis plenissimus, cum nimirum centessimum annum ageret, & Fani Fortunæ nescio quo munere detineretur, in eadem Vrbe cessit è viuis, ab Orbe redempto circiter annum millesimum, & quingentesimum. Extat Camili Damiani Fanensis carmen eius Sepulchro inscriptum: quod cum per omnia fermè illius gesta per vagetur, & laudes, apponendum hoc loco duximus.

Pacificus iacet hic, Patria, Stirpe, Ordine equestri
Clarus, sed claro pectore nobilior.
Bella Syracusijs Marcelli expellere muris.
Hic potuit prudens, hos quoq; sternere humi.
Vnde venit Titan, ad equos vbi soluit anhelos,
Hora erat hic doctus verba referre breui.
Ingeniosa manus, cor nobile, condita cunctis
Attigit, interpres Legibus vnus erat.
Mellifluus Rhetor, memori quæq; aure recepit,
Edidit, & Vatum gloria prima fuit.
Bella cruenta canat, feriunt fera carmina Olympum,
Cum Venerem, in venas it Venus ipsa tuas.
Viuenti bis lustra decem, Fani Atropos aufert
Fila, Iouis quia mens, vult sibi lecta dari.

EIVSDEM DE EODEM.

Asculum ouat partu; fuit Hermes, Pallas, Apollo
Quos colui, fortis morte superbit humus.

EX

EX PACIFICO IN LVCEM PRODIERVNT.

Elegiarum libri viginti, bis typis traditi, Florentiæ Anno 1489. per Antonium Mischonimum, & Bononiæ Anno 1523.

Elegiæ quatuor, vt Gaddius refert, Bononiæ eodem Anno.

De Bello spartasio libri sex.

De Bello Cyri Regis libri septem.

De Bello Syllæ, & Marij libri duo.

Lucretiæ libri duo.

Virginiæ libri totidem. Hos autem 4. libros inscribit Angelo Colotio Axinati.

Grammatica de Regimine Verborum Græcorum, solutâ, & vinctâ oratione conscripta ad Hippolytum Filium; qui omnes Fani excusi fuerunt partim anno 150c. partim 1506. per Hieronymum Soncinum.

Poema in laudationem eximij militum Ducis Ioannis Saluialij Florentiæ Anno 1485.

Libellus de componendis carminibus ad magnificum IacobumSaluiatum. Ibidem Anno eodem.

Oratio habita apud Senatum Lucensem in Vexillorum assignatione. Item eodem Anno, & loco.

Inuectiua in Angelum Politianum.

De Sapientia libri septem.

De Castitate libri octo.

De moderatione animi. De Bono. De Fato. De Anima libri nouem.

De diuina Prouidentia libri decem, vt ipse ait, initio libri septimi Elegiarum.

AD MATHIAM PANNONIÆ REGEM SACRATISSIMVM.

HOc quidquid libelli eſt : Sacratiſſimæ Maieſtati Tuæ dicaui ; non ſum Albinus. Quid enim ineptè, quæ fieri volui excuſare laborem? Elegia eſt, & mollicula quidem, ludit, & ſolita procacitate laſciuit, ridet, plorat, gaudet, & triſtatur, Sæculum tamen mellito felle demordet. Habes Platones, Ariſtoteles, & Philoſophantes plures; ſed illi Vitam & animum quandoq; reſtringunt, Ego verò (lege me) relaxo, & angorem, & bilem intercido. Viue lætus, & Vitam ama.

Pacificus M. P. A.

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI HECATELEGII

LIBER PRIMVS.

AD LECTOREM.

LEctor ſi ſapis haud legas libellum,
Sed Vites, fugiaſq;, reſpuaſque;
Vt peſtem rabidam, grauemque morbum.
Sin: ne dixeris haud Poeta dixit.
Fies peſſimus è bono, maloque
Longè peſſimus. hoc Poeta dixit.
Perſtas tu tamen, & videre curas.
Noſces quod facis, & quod ipſe ſcripſi.

AD LECTOREM.

QVi ſua metiri nouit benè Tempora: viuet
Et benè qui madidas concidit ante vias.
Omnibus, vt ſpirant, dantur benè lintea Ventis,
Puppis in aduerſas non benè currit aquas.
Multa quidem facerem, quæ me feciſſe deceret:
Et non tentarem, quæ ſcio ferre notam.
Quid magis arma canam: cum me leget arma canentem
Nemo: niſi ludat Carmen ab aure cadit.

Blanda iuuant, capiuntq; animos, quis ſumit acetum,
Cum ſibi miſceri dulcia Vina videt?
Se lambi mel dulce facit, fugiturq; Venenum;
Blanditur miti Voce vocata Canis.
Vt ſe Tempus habet: ſic Vitæ eſt tempus agendum
Nunc ſapere Inſani, non Sapientis erit.
Sic inter ſtultos ſapiens ridetur; vt alba
Si qua inter Coruos viſa Columba fuit.
Sint vtcumq; boni, veniant in verba, videbis
Quod veſanus amor ſermo ſupremus erit.
Nil hodie appetitur niſi quod iuuat: vtile tantum
Creditur, hoc animus, quod cupit eſſe ſuum.
Quis modo vel Thebas, vel quis Carthaginis arces
Scriberet, & quanto puluere Troia iacet.
Sit modò Virgilius, vel ſit facundus Homerus;
Nil niſi blanda Venus quod loqueretur erit.
Vnde meus Satyras animus meditatur, & ardet
Hæc mordere graui facta pudenda pede.
Sed quantum Inuidiæ miſera Ceruice ſubirem?
Sint procul illa mei Carmina cauſa mali.
Carior eſt omni pretio mihi Vita, nec vlla eſt
Res mihi; quæ ſuadet vile timere mori.
Longum eſt quod ſtatui ſine Cura viuere, & omni
Et Quocunq; modo mens volet orbe frui.

AD LECTOREM.

QVatuor (aut nimium ſi ſit) tria candide Lector
Fronte bona capias, menteq; verba velim
Si non vera loquor, ſi ficta, & more Poetæ,
Vltima lux oculis ſit precor iſta meis.

Sum bonus, & melior toto non viuit in orbe;
Et non eſt aliquis ſimpliciore fide.
Dilexi nullum quantum te diligo, tuq;
Me pariter, noui teq; tuumq; decus.
Sed te ſcripta mouent noſtri male ſana Libelli
Mirariſq; vni ſuccubuiſſe notæ.
O'(quantum eſt auri)quantum eſt hyaſpidis in te
In te vno verè lucida gemma nitet.
Vera quidem ſentis, nec quæ ſunt vera negabo.
Sed tamen admiſſo Culpa vacare poteſt.
Si benè ſuſpendis, trutina ſi ponis in æqua
Cedere perſpicies ſcripta proterua bonis.
Quinq; decemue meo ſi ſunt mala Carmina Libro
Millia tot non ſunt eijcienda bona.
Et lolium pingui, tribuluſq; innaſcitur agro
Fertilis vrticas hortus habere ſolet.
Et mora in dumis, & dulcia pruna videmus
Ferreq; peſtanas dura Rubeta Roſas.
Adde quod à nigro poſito, nitet albius album
Et magis à fœdo ſtercore Caſtor olet.
Pluſq; ſub æſtiuo ſolet vmbra placere calore;
Sub bruma, Solis pluſq; placere iubar.
Quid quod Carminibus data lex eſt iſta iocoſis
Vt multo ludat ſaucia Muſa mero.
Ebria quid dicat neſcit, nullumq; pudorem
Nouit: vt effuſis concita Baccha comis.
Et bene ſi ludit, benè ſi laſciuit in omni
Carmine; qua debet lege fruetur opus.
Mollibus eſt Elegis conceſſa licentia fandi,
Effari quiduid Cenſor in Vrbe vetat.

Pecca-

Peccarem, si nulla foret lasciuia linguæ,
  Et si non solita curreret arte Liber.
Quod si peccaui, potui peccare, quod istos
  Elegi paribus, præposuiq; modis.
Me miserum quali potui cantare Coturno,
  Et quali potui Bella tonare Tuba.
Sed me tristis amor, me tristis Cura coegit
  Inter inæquales verba referre modos.
Et me fata trahunt, & inertis temporis ætas,
  Quæ nihil eximij conspicuiq; facit.
Scilicet arma canam? Sed sum cantare paratus,
  Si ranæ, & mures non grauiora mouent.
Est aliquid nasci læto sub sydere, & illo
  Tempore quo virtus gloria summa fuit.
In nummis est omnis honos, & diuite cultu,
  Risus erit trità si Cato veste venit.
Pauper es, & nullus resonat tibi nummus in arca,
  Pro re te vana pro fautuaq; putant.
Vtq; vides lector poteris me scribere. Virtus
  Hæc mea per longam me facit ire famem.

QVERELA.

SI quis Fortunam si quis mea Fata videret;
  Diceret ante omnes me grauiora pati.
Ecquem vel tellus, ecquem vel senserat æther
  Plangere, quem deceat, vel lachrimare magis?
Non valet æquari nostro dolor vllus, & angor
  Et caret exemplo nostra ruina pari.
In me iurarunt Superi, Stygiiq; Penates
  In me exercetur Styx, Mare, Terra, Polus.

Quæ

Quæ venit ex meritò, patienter pæna ferenda est
  In me non vlla est causa reperta mali.
Me scio Tantaleos superis, superumq; parenti
  Ferre licaonios non meminisse cybos.
Non ego Thessalicos congessi ad sydera montes
  Vt traherem capti colla reuincta Iouis.
Non ego Iunoni sceleratus furta paraui,
  E,q; meà non est facta Nouerca domo.
Non ego Latonæ turbaui fuste liquores,
  Non geminos natis postposuiq; deos.
Natorum nimium sors est mihi dira meorum
  Non est qui blando me vocet orè Patrem.
Non sum phæbeos ausus conscendere currus,
  Vt timeat flammas axis vterq; meas.
Non cereale nemus memini violasse securi,
  Non vidisse aliquam me sine veste deam.
Non me damnantem vidit tua Sacra Cytheron,
  Succidi vites non ego Bacche tuas.
Altaq; ne tegeret me forsan arena timerem:
  Ausus si lybicum sim temerare Iouem.
E' tribus vna Venus non est laudata, nec vnquam
  Iudice me Pallas, Iunoq; læsa fuit.
Præberet: quamuis ventos non vtre ligarim
  Maius odysseo nunc meus error opus.
Per me nata Iouis non vultus Ægide texit,
  Sanguine bistonio si tegit, ora tegit.
Igne meo arserunt numquam vel templa, vel ædes;
  Nec solui in magnos verba prophana Deos.
Nemo fuit Lingua, nemo vel Carmine læsus
  Nulla queri de me fœmina virq; potest.

Non meus hic animus cuiquam nocuisse parauit
  Nil fuit hæc vnquam mens operata mali.
Inde mihi prima est, & maxima cura Deorum;
  Hinc tacita immensos cogito mente Deos.
Ante Sacrum lumen textas appono Coronas
  Serta lapis per me, sertaq; quercus habet.
Thus quoq; raro meum non est quod fumat in Aris
  Talia libamus, qualia reddit ager.
Sit minor ille licet, quam qui solet esse fenestris
  Non tamen immemorem me facit esse Deum.
Et tamen vsque adeo premor, & res nostra laborat,
  Et dura cogor sæpè perire fame.
Ingerit vsq; aliquid nostræ Fortuna ruinæ
  Accedunt cumulis hæc quoq; damna meis.
Ecce velut Segetem sciret superesse; Catellam
  Dicitur heu Catulos nunc peperisse decem.

DE MARTIA.

CÆcus amor meus est, nec se benè temperat ardor
  Flammaq; non certo stat mea fixa pede.
Sæpè meam laudo Fortunam, sæpeq; damno
  Sæpè miser cupio viuere, sæpè mori.
Spes modo cum cecidit, rursus spes altera surgit,
  Nunc ego lætitia tristitiaq; vehor.
Sic labat in Ponto, sic Ventis cedit vtrisq;
  Cum leuis assueto pondere Cymba caret.
Sic & se Boreæ, Zephyro sic præbet, & Euro
  Virga, nec auersa est, cum venit illa Noto.
Si me turbato respexit Martia vultu,
  Dispereo, & Vitæ nil superesse puto.

Gaudeo,

Gaudeo, ſi gaudet; ſum triſti triſtior illa;
  Rideo ſi ridet, ſi flet, & ipſe fleo.
Cum mala narratur, quamuis ſit fabula mendax
  Qua me ſuſpendam, tunc ego quæro Trabem.
Si quem reſpectat, vel ſi cui ridet; & Enſem
  Nunc facis (exclamo) per latus ire meum.
Quælibet eſt anni lux, & nox quælibet anno
  Longior, Inſomnem noxq;, dieſq; videt.
Si Cubo, non poſſum placidam ſentire quietem
  In nulla poſſum parte iacere Thori.
Fundo graues gemitus, nunc hàc, nunc voluor & illàc,
  Me miſerum, quamuis non dolor vllus agat.
Sed dolor æquari miſero quis poſſet Amori?
  Non illo toto eſt maior in orbe dolor.

AD VXOREM.

DIj Te diſperdant Vxor male grata Marito
  Sarcina non humeris apta ſedere meis
Et Tibi dematur non vno vita dolore,
  Et mortis grauius ſit Tibi morte genus.
Quæ mihi te furiæ teda iunxere Iugali?
  Conticuit bubo quod mihi Carmen auis?
Et ſatiùs fuit flammas Immittere Tectis,
  Quam Te, quæ flammis deteriora facis.
Et dij Te primo iugulaſſent limine ſponſa,
  Offenſo dederas cum mala ſigna pede.
Et bene tum poteras non reſpirare palato,
  Cum fueras thalamo tu mihi pacta meo.
Tum potuit melius frangere guttura dextra,
  Cum dare concepit te mihi mente Pater.

Si; te cum peperit Mater, tibi fila fuissent
Trunca, foret sub tot non mea vita malis.
Fœmina thartareo tu me generata baratro,
Tu me, tu media sub Styge nata, petis.
Et modò me vinctum, pacto modò Iure iugali
Dicis, & inuitum credis habere virum
Nil sapis, & stulta es, si me tu velle redire
Te viua, & vita non abeunte putas.
Ante sua bellum concors cum pace manebit,
Cumq; suo concors igne manebit aqua,
Quam redeam, quam me reducem tua tecta reuisant;
Dum vitam duces, dumque superstes eris.
Ante velim caput hoc immittere terræ,
Pectoribus quam sint hæc mea iuncta tuis.
Et prius emoriar, quam quouis tempore fiant
Obuia luminibus lumina nostra tuis.
Te benè qui memorat; vult hic meus hostis haberi
Te malè qui memorat viuere; vult vt amem
Nuntiat ereptam si quis te rebus; habebit
Quas mea secretas arca cohercet opes.
Illa dies nobis veluti genialis agetur
Inter & albentes tunc erit illa dies.
Res mala quid viuis? quid viuis pessima rerum?
Quid te tua tardas frangere colla manu.
Pontia te melior, melior Medea reperta est
Tuq; ueneficio uincis utramque tuo.
Tu quoq; tres à me peperisti fœmina natos,
Dic ubi sunt nati Pignora cara mei.
Te Phœbus nollet, nollet te Luna uidere
Te uisa vultu pallet uterq; suo.

Præſentem Matri, dum natam luget ademptam:
Dum luget natum, te decet eſſe Patri.
Te decet in ſolis tractare cadauera buſtis,
Deque ſepulchretis oſſa tenere ſinu.
Si ſapis, in lucem tentes prodire caueto
Hæc ſolet obſcuris umbra natare locis.
Sic ibat repetens pomis deceptus, & undis
Tantaleam ſicco Tantalus ore domum.
Et ſic Herculeos Athamanteoſq; petebat
Tiſiphone miſſo crinibus angue ſinus.
Exerces in me non vna noxia culpa
Non interpoſita peſſima quæque mora.
Non ſatis eſt pro te profugum fugiſſe, domoq;
Cum dulci patria me caruiſſe mea.
Mente putas ad te ſana me uelle redire?
Ad te me ſana mente redire putas?
Non res, non facies, non mos, non ulla uenuſtas
Eſt in te, quæ me cogat adire Domum.

AD MARTIAM.

MArtia ſi poteris, placido cape Carmina vultu
Si placidus non eſt; tu tamen illa cape.
Sumere non oberit, ſed nec legiſſe nocebit
Eſt aliquid, quod te forte iuuare poteſt.
Si non ſeruaſſet, numquam cecidiſſet in Aula
Cæſar poſt minimam verba legenda moram.
Quamuis hoſtis erat, quod tu Menelae dediſti
Hoc Priamus legit, tuq; quod ille dedit.
Hoſtis erit nobis, ſi quem tibi feceris hoſtem;
Vtq; ego, qui te ſic, non erit alter, amet.

Te Patre, teq; tua longè plus diligo Matre
  Plus tibi, quam Pater eſt, quam tibi Mater ero.
Crimine tu quamuis nulla religere Catena,
  Sed ſi qua digna es, te mea flamma liget.
Non Pater Andromedæ, Mater non ipſa ferebat
  Auxilium, externus qui tulit, hoſpes erat.
Fors tibi tam fœlix ſoli tibi contigit uni
  Quæ tuus aſſiduo fecit ut eſſe uelim.
Perpetuumq; Iugum non hæc mea Colla recuſent.
  Me iuuat iſtius ferre laboris onus.
Sitq; precor gratum, placeatq; in tempore longo
  Seruitium, ſub te detineaſq; diu.
Pro te ſi mortes iubeas me mille ſubire
  Pro te me mortes mille ſubire parum eſt
Mille mihi Vitæ ſi ſint, tibi mille dediſſem,
  Pro te tam magna cuncta dediſſe uelim,
Si ſit Terra mihi, ſi ſit Mare, Sydera ſi ſint
  Protinus hæc tua ſint Sydera, Terra, Mare.
Si placet extenuer longo patienter amore
  Fiat, ut extenuer, te patienter, amo.
Quodq; pati flammas, quod me uis Igne cremari;
  Has patiar flammas, hoc & in Igne cremer.
Et licet hic validus penetrauerit Ignis ad oſſa
  Ardeat, & pereat tota medulla foco.
Luce mihi grauior nox, & lux nocte videtur
  Sit mihi lux grauior, nox grauiorq; mihi.
Omnia perpetiar, ſolet hæc patientia multis
  Certa licet longo tempore uota dare.
Longa dies non eſt, non eſt hæc ſerior hora
  Cum venit hæc tandem, ſi modò læta venit.

Læta erit illa dies, erit & maturior hora
Accipient faciles cum mea uota Dij.
O' mea uota precor facili ebibat aure Cupido
Arbitrio ut potiar te mea Vita meo.
Quodq; mihi placuit, placeat tibi, sim tibi curæ
Hoc quoque quo ſtimulor, tu ſtimulare Deo.
Cum mihi reſcribes, ſcribas te digna, tuæque
Conueniant Formæ verba remiſſa mihi.

TABELLARIO.

I Celer, & profer Iuſſorum fide miniſter
Ad Dominam blandas veſte tegente notas.
Temporaq; apta legas; animo ſit illa ſereno
Et uacet à curis, ſitq; remiſſa iocis.
Obſerua; medium ne Sol tranſcenderit orbem;
Ne pluat; & ne ſit nubibus atra dies.
Iuncta nec extenuet detexens cornua Phæbe;
Vel creſcat; vel ſit lumine plena ſuo.
Non tibi de Triuijs vox accipiatur iniqua,
Non obliqua malum concinat Omen auis.
Cautus, vt ad limen perueneris, eſſe memento
Ne mala pes læſus limine ſigna ferat.
Inſpice ne mediæ compeſcant pallia Portæ
Compago Valuas cum cohit vna duas.
Et tendas recta; nemo te tardet euntem;
Nemo vocet; nulli teq; reuolue retrò.
Siſq; hilaris; nil triſte tuo ſub corde volutes;
Inque bona non ſit ſpes tua lenta Fide.
Et modò dic tecum Dominus ſua vota tenebit,
Et deſiderij ſic modo compos erit.

Littera

Littera ſit dextra, dextram quoq; porrigat illa,
Curaq; ſit dextro licia dente ſecet.
Gemma ſtet in pedibus, ſeruetq; illeſa ſigillum
Et caue dum reddis ne cadat illa manu.
Diſpice quo vultu legat, qua fronte Tabellas
Nam frons, & vultus pondera mentis habent.
Et ſi perlegit, ſi non ſatiata relegit,
Inque ſuo poſuit poſtmodo feſſa ſinu.
Pectore ſi penitus lento ſuſpiria traxit.
Inque ſupercilio ſi neque ruga fuit.
Si riſit, ſi quid nutu ceſſura videtur
Si tenet vt vinctas in mea iuſſa manus.
Tuq; faue cæptis, & velis adijce remos;
Vt gemina currat per freta Nauis ope.
Te gemere, & toto videat palleſcere vultu;
Et lacrhymas plenis proſiliiſſe genis.
Cur facis hæc quæret; nam quæret, ferrea non eſt,
Vtiliter poteris dicere multa breui.
Ne me comperias vita ceſſiſſe timere,
Qua me poſſe neges, ſe niſi dante frui.
Si dicet veniat; mora ſit procul omnis adempta.
Curre, vola, media, meq; vocato via.
Si Graphium ſumet, cæras hortare capaces
Impleat, & nulla parte tabella vacet.
Quamuis Mæonio maius peroraret vtroq;
Non ſatis hoc oculos detinuiſſe querar.
Feſſa tamen ſi ſit, vel ſi breuiora placebit.
Scribere; ſit ſatis hoc; lente Poeta veni.
Hoc mihi ſi dabitur, Creſi ridebitur arca
Deſpiciam ſuperos deſpiciamq; Iouem.

AD MARSVM.

SÆpè veni Romam ſcribis mihi Marſe; uenirem
Si uellem ante meum fata ſubire diem.
Quæ pateris me poſſe pati ne rere; pararem
Ipſe prius manibus frangere colla meis.
Ante canes, ſæuæq; lupæ mea uiſcera tractent
Quam premar hac, qua te conditione premis.
Sic ne miſer uiuis? potes iſta ſorde ſubeſſe:
Fers oculis, quod non pectore ferre potes?
Excute te tenebris, & te rationis egentem
Collige, & in quanta diſpice nocte iaces.
Neſcio qui ualeas iſta conſidere terra,
Quæ rerum ſerua eſt, cum caput ante foret.
Quiue uales iſtis te ſubdere, quoue furore
Alecto mouit ſanguinolenta faces?
Quid tibi cum mulis, nemo cum tradat Aſellam?
Is pedes, & rupta pes tibi pelle fugit.
Dumq; caſam repetis culmo, uel ſtramine tectam,
Sparſa luto, & multo puluere ueſtis erit.
Spe traheris, uanum ſpes hæc te reddet; ab iſtis
Nil unquam erades; nil didicere dare.
Officij, meritiq; perit labor omnis, & unum
Non tamen inuenies qui uelit eſſe memor.
Vtq; Canis deiectus eris; ſi longa ſenectus
Inficiet, nulla ſuſcipiere domo.
Gratia Dijs quod non omnis mihi pectore ſenſus
Decidit, & tantum mens mea corq; ſapit.
O' ego quam fateor ſuperis debere, quod iſtos
Errores animo non peperere meo.

AD

AD PAVLINVM.

COnuenit, & laus eſt, depellere crimina ſemper
 Semper Virtutes, & benefacta ſequi.
Qui vult ſe ſocium cuiquam prębere malorum
 Vult etiam ſocij nomen habere ſui.
Claudicat hic, quoniam cum quo commertia iunxit,
 Vnus erat longus pes, breuis alter erat.
Sæpè aliquem vidi, balbo quod iunctus adhæſit,
 Non ſatis integræ vocis habere ſonos.
Sæpè pecus totum, vidi quod ouile peremit.
 Mille licet pecudes, hæc licet vna foret.
Sæpè etiam læſis arbor pulcherrima pomis
 Vicinæ vitio languida facta perit.
Cauſa mei moris ſolus fuit ipſe Magiſter
 Cui Pater, & Mater me mala cauta dedit.
Multa quidem didici, quæ non didiciſſe iuuaret.
 Plura per auditum, plura per ora bibi.
Tu quoq; quid non hunc vitas Pauline; quid ipſum
 Cum quo coniungis non latus ipſe vides?
Et mecum dubito, ſimili ne forte traharis:
 Namque ſolet ſemper par adamare parem.
Non bona narrari de te iam fabula cœpit.
 Per ſua te Populus plurimus ora terit.
Iamq; cani poteris longam ſuccidere caudam.
 Prima nouo non hæc nomine fama cadet.
Et niſi tu ſapias, niſi te reuocabis ab iſta,
 Non aqua te poterit tota lauare Maris.
Hic à Gallina ſubduceret ora fouente
 Hic ſoleas vigili ſurriperetq; pedi.

Sicq; manum cohibet, ſic linguam, victus ut eſſes
  Hermogenes furto, Batteq; fraude tua.
Nuper in Orcheſtra ſpectator forte ſedebam.
  Surripuit natibus molle ſedile meis
Huius Auus fracta, Pater huius fauce pependit.
  Non aliter vitam finiet iſte ſuam.
Te quoq; (ne dubita) ſimilis iam pœna manebit.
  Reſpice ſi collo Funis, & vncus ineſt.
Non aſſis mea dicta facis. tibi dicitur illud
  Nemo datam pecudem ſubtrahet ore lupi.

QVERELA.

Dicitur & verum eſt; ſi uis moriatur amator
  Dic te venturam, nec tamen ipſa veni.
Et uerum eſt, decies cecidit licet ille retentis
  Caſſibus; in Caſſes (tu modò tende) cadet.
Dicitur & uerum eſt, benè tum retinebis amantem
  Cum facies mortes mille ſubire die.
Et uerum eſt, ſolo riſu reuocabis Amorem
  Si iurat nullo tempore amare magis.
Quoq; magis fugies tanto magis ille ſequetur
  In uetitum ſemper nititur omnis Amor.
Colla ſemel ſi quis curuo ſubmiſit aratro
  Non poterit tunc, cum preſſa leuare uolet.
Spontè prius ceſſi flammæ, ſubitoq; furori
  Nunc tamen inuitum flamma furorq; tenet.
Serpit Amor, tacituſq; ſubit, primoq; videtur
  Res blanda, & dulci mella datura ioco.
Aſt ubi radices medijs hæſere medullis,
  Fit furor, & languor, ſollicituſq; metus;

Et dubiam didicit ſpem commiſcere dolori
Namq; Amor in medio eſt pectore dulce malum.
Naſcitur è luxu, viridis complectitur ætas,
Fortunæ paſcunt deſidioſa bona.
Si nutrire ſinu quiſquam deſiſtit; abibit,
Cumque arcu, & telis quaſſa pharetra cadet.
Ipſe parum prudens ſerò mea vulnera tento
Curare, & moriens quæro medentis opem.
Sæpè malum primò quod non lætale videtur
Poſtmodo neglectum Fata ſuprema dedit.
Sæpè fit è minima ſcintilla maximus Ignis,
E' minima Pontus ſæpè creatur Aqua.
Principio obſtandum eſt, ni vis mala tempore creſcant.
Sæpè aliquid poteras, quod mora poſſe negat.
Principio medicina iuuat; nil ſera iuuabit.
Stultum eſt in medijs te reparare malis.
Me miſerum quanta flamma comburor, & Igne
Me miſerum quantus pectora verſat amor.
Me grauius nemo, nemo crudelius arſit
Qui ſic tabuerit nullus in orbe fuit.
Extenuor, nulluſq; diu cibus ora, nec vnda
Tangit, nec poſſunt membra iacere Thoro.
Omnia ſed paterer, quamuis ferus vrgeat ardor
Et plus quam liceat me meus Ignis agat;
Si quæ diligitur non ſic rideret Amores
Nec ſic exitium quæreret vſq; meum.
Callida ſubducit faciem, uel fingit abire
Ad ſe veloci, cum videt ire pede.
Tum magis inflammor, miſcetur & ira furori
Accendunt geminas ira furorq; faces.

C Mente

Mente cado, dubiæq; labant diſpendia vitæ
  Sydera cum terris mixta videre velim.
Langueſco interdum, rurſus curroq; voloq;
  Nulla poteſt celeres terra tenere pedes.
Sæpè etiam iuro totiens deſpectus amorem
  Vincere, & ardori Vela negare meo.
Illa tamen fallax renouat mea vulnera riſu.
  Cum ridet credo tunc in amore mori.
Semper me fallit, ſemper me ludit Amantem;
  In laqueos ſemper, quos locat illa cado.
Et mihi nunc rurſus promiſit, credere ſtultum eſt.
  Et tamen expecto; ſi venit; Ecce venit.

PACIFICI

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI HECATELEGII LIBER SECVNDVS.

EVCHOLE PRECATIO

SI fas eſt faciles habere Diuos
Hoc vnum mihi poſco; ne Libellus
Hic triſti meus à Viro legatur,
Mento pectora qui terit, ſoloq;
Figit lumina, reijcitq; collum
Alternæ ſcapulæ; legat Platonem,
Sed cum non oculos habere plures
Cœlo cogitat, & videre Stellam.

QVERELA.

SI vires animo ſimiles mihi fortè darentur
Vtq; mihi cupio ſic mea vota forent.
Quem non Mecænas, nec vidit Roma, Poetam
Me facerem; faceret ſe mihi nemo parem.
Non ſe Virgilius, non ſe præferret Homerus
Ingenio vinci faſſus uterque meo.
Quicumq; eſt animo liber, curiſq; ſolutus
Cantet, & æterno Carmine condat opus.

Pluribus implicitus nulli bene ſeruit; in vna
Qui valet, in gemina non valet ire uia.
Hic, ubi nunc ſedeo, non tu potes ipſe ſedere
Hic, ubi pes meus eſt, non tuus eſſe poteſt.
Me mille impediunt curæ, me mille labores;
Et requies animo non datur ulla meo.
Quæ patior, ſi nota forent mala, quiſq; probaret
Nil reſpirandi temporis eſſe mihi.
Non bene cum Superis actum eſt mihi; natus iniqua
Sorte fui, ſpero nec meliore mori.
Credam Fortune? quæ tum ſe uertet in axe
Cum ſciet è vitâ me cecidiſſe mea.
Quid tamen expectem? qui me canumq; ſenemq;
Sarcophago uideo depoſuiſſe pedes.
Eueniat quodcumque uelit, ſcio ſerò uenire;
Siue malum, ſeu, quod non puto, forte bonum.
Ocia da Iuueni, qui viribus ardet, & annis
Et bona ſint illi, ſint mala multa ſeni.
Et benè fit; ſi quis permixtis ſputa lapillis
Mittit in hunc, & non ceſſat adire caput.
Quo recidi? Vanos malè dum diſponimus annos
Irrepſit tacito curua Senecta pede.
Pœnitet, & dolor eſt benè non uixiſſe, velimque
Ad primos rurſus poſſe redire dies.
Phaſidas elixis Aries longæuus in herbis
Merſus erat, medijs exilit Agnus aquis.
Exhauſtos ſuccus ſuppleuit ut Æſonis artus,
Protinus antiquos exuit ille dies.
Vana loquor, uanum eſt, quidquid reparabile non eſt
Sperare, & uanis rebus habere fidem.

Quid

Quid faciam ? durum eſt mihi uiuere, durius eſſet
Velle mori, infœlix ſors mea, ſorte ſua eſt.
Gaudebit nemo, nemo triſtabitur unquam,
Nemo mea vita, morteque nemo mea.
Si Morior, ſi viuo meum eſt; & dicitur illud
Turpe ſibi ſoli viuere, turpe mori.

AD DEOS.

DIj, precor, in melius ſæuum conuertite tempus
Et facite has pluuias ſiſtat vt Iris aquas.
Si non obliti rerum, ſortiſque futuræ
Nunc orbem rurſus perdere vultis aqua.
Officium longo non poſco tempore; parua
Officio ſatis eſt, ſi vacat hora meo.
In mea ne veniat dilectum Sydus Amoris
Prędia, nimboſum tempus obeſſe queror.
Ne faciat dulci reſonare hæc nemora cantu
Tempus obeſt pluuium, triſteque tardat iter.
Dum venit hic ad me, Superi remouebitis vndas
Ad me cum venit, tum grauis unda cadat.
Quid precor infœlix ? Multò truculentior urget
Auſter, & ex omni parte madeſcit humus.
Et ſic è Cœlo nimbi funduntur, & imbres;
Vt mea non poſſint tangere uota Deos.
Sed modo quid tonuit diſcuſſis nubibus Æter?
Quid modo concutitur, quaſſaque Terra tremit?
Vota pios tetigere Deos, tetigere Tonantem,
Incaſſumque meæ non cecidere preces.
Effugere graues nubes, effugit aquoſum
Tempus; & in toto Cynthius orbe nitet.

Tandem

Tandem uenit Amor, vultu ſubridet amœno
  Laſciuitque iocis, blanditijſque ſuis.

AD TVLLVM.

VNde genus, nomenque traham, Patriamque, requiris,
  Quamque mihi primam Fata dedere diem.
Quod petis haud valeam, ſi vellem Tulle negare
  Sed neque ſi poſſem, Tulle negare velim.
Aſculum in extrema Patria eſt mihi valle Truenti.
  Hirſuta, atq; humili Terra ſuperba loco.
Mars Pater eſt Vrbis. Picus Vexilla tuetur,
  Gens fera, nil vllo Tempore pacis habet.
Finitimos bello Populos, Vrbeſq; ſubegit,
  Et quæ in Picenis bos arat arua iugis.
Ecce domat cunctas Romana Potentia terras
  Vnius Imperio ſubditus orbis erat.
[a] Erigit hæc Criſtas, ſocialiaq; excitat arma,
  Obſide non vno datq; capitq; fidem.
[b] Aduolat accenſus ſubita Seruilius ira,
  Sumptaq; dum tumidus corripit arma; cadit.
Mox etiam blandis dum miſcet fortia dictis,
  Fonteius iacuit per loca mille lacer.
Nil illo leuius Populo eſt, qui ſumpſerat arma
  Concors, concordi non tenet arma manu.
[c] Ad trepidam ecce Parens it Iudacilius Vrbem,
  Dat lentos Letho, deſidiamque premit.
Inter Conuiuas rigido bibit ore Venenum,
  Nec timet ardentem fortis adire Pyram.

Pompe-

a *Aſculum author Belli ſocialis aduerſus Romanos. Florus, Appianus &c.*
b *Seruilius Proconſ. in Piceno ab Aſculanis interficitur vna cum Publ. Fonteio Legato.*
c *C. Iudacilius Aſculanus Copiarum ductor aduerſus Romanos in bello Sociali.*

Pompeius iam Caſtra locat, iam Pontibus vrget
  In vanum non hinc tela, nec inde cadunt.
Hoſtibus immixtus Populus fugit; Vrbe recepta
  Pompeius potitur, uiĉtaque Turba cadit.
[a] Heu caue Pompei, gladio ne concidat iſto
  Ventidius: Craſſi ſanguinis ultor erit.
Huic plus quam credit debebit maxima Roma
  Deſinet, & mulas iſte fricare ſuas.
Hic eſt qui debet Parthos frenare Triumpho,
  Subdereq; Arſacidum regia colla iugo.
Pompeius, Craſſus, Cæſar diuiſerat orbem,
  Et fuerat Dominis ſubdita Roma tribus.
Bella parat Craſſus Parthis, & fædera ſoluit
  Et nihil ardenti Torre Tribunus agit
Non nati, caſuſq; ſuus, non omina Vocis
  Terrent, cum Pontis crura remiſit aquis.
Per deſerta vagum campi trahit Acbarus illum
  Quo didicit melius nemo locare dolos.
En ſubito horrendi ſonitus, circum undiq; ſurgunt
  Denſior, & tetra nube, ſagitta uolat.
Parua mora eſt, Acies cecidit romana, caputque
  Dum fugit à Craſſo, murmura certa dedit.
Aduolat in Parthos raptis Antonius armis
  Opponitque Acies, ſęuaq; bella mouet.
Fuluia ſed lacrymis reuocat, precibuſque Maritum.
  Et tantum auertit Fœmina ſola Virum.
Poſtmodo Ventidius domino ſuccedit, & armis,
  Inquo hoc quid poſſint Fata, uidere licet.

Cæſaris.

a *Ventidius Baſſus Aſculanus in Octauiani Auguſti locum Conſul ſuffectus Parthos debellauit, ac de iiſdem triumphauit. Appianus Suetonius &c. Antonellus hiſt. Aſcul. lib. 4.*

Cæſaris interea genium dum Antonius horret.
   Tranat in Ægyptum Regnaque tuta petit.
Ille caput ſacræ ſertis præcingit Oliuæ,
   Et de Clepſydra vas prius haurit aquæ.
Ille fuit Parthis dolor ultimus, inque Sepulchro
   Errantem Craſſum condidit ille ſuo.
Iamque acies ſteterant, prætentaq; tela rigebant,
   Iam Tuba dat ſignum, iam mouet Arma furor.
Ventidius primos incurſus ſuſtinet, inde
   Se legit, & tacita fingit abire fuga.
Iamque hoſtes viciſſe putant, lateque palantes
   Errabant, lœtis nec modus vllus erat.
Tum mox incautos valida premit ille Cohorte;
   Hi fugiunt, aſt hic Agmina verſa metit.
In latebras Labienus abit, trepiduſq; Phraartes
   Poſt modo conciderat vulnere vterq; pari.
Præbuerat vanas falſis Rumoribus aures
   Ventidi; Pacorus Caſtraque victor adit.
Ille ſuas ſoluit Turmas, hoſteſque furentes
   Proterit, & medios verberat enſe greges.
Cum Duce diſiecti Parthi ceduntur ad vnum,
   Ne poſſit tanti Nuntius eſſe mali.
Cum Pater extinctum natum cognouit Horodes
   Deperit inſano, menſque dolore cadit.
Ille triumphali Curru ſublimis in Vrbem
   Arctoi redijt primus ab Axe Poli.
Tum poſuit ſoli Princeps ſibi ſubdere Romam
   Tum rapere è manibus Tela triſulca Iouis.
Hic Auus, hic noſtri memoratur Sanguinis autor
   Signaque ſunt veri quod durat vſque domus.

Quæ

Quæ mihi prima dies, cur ſint mihi nomina Pacis;
Expecta; dicam; ſed tamen ante bibam.

DE HIPPOLITA.

QVid totiens laſciuit Amor, quid vexat acerba
Me face, quid vita non ſinit eſſe mea?
An, quia ſum facilis, quia non mandata recuſo.
Hic in me totiens aurea Tela iacit?
Mille ego ſum paſſus flammas, & mille furores
Nec, puto, quod patior, finis Amoris erit.
Et numquam tales ſenſi ſub corde fauillas,
Neſcio quid maius nunc nouus ignis habet.
Vt radijs Phæbi glacies reſoluta coruſcis,
Labor, & vt nimium cæra propinqua foco.
Non quæ diligitur, caput ad mea verba reuoluit.
Non hæc blanditias non capit aure preces.
Pan tua ſic riſit; ſic te tua Phæbe Puella
Laurea ſed tamen hæc, Canna fit illa Leuis.
Sic, & Anaxarate ſcelerata fugauerat Hyphin
Fit lapis hæc, guttur poſtibus ille ligat.
Non aliter cunctos Pomona reliquit amantes
Hei mihi Vertunno contigit illa Deo
Sim, (precor), vt fœlix fuit inter mille furentes
Inter riuales ſic ego mille meos.
Sed mihi nil fraudes proſunt, nil verba dediſſe;
Et nil cum multa proficit arte dolus.
Ingenioſa meos didicit bene fallere caſſes.
Retia ſi tendo ſubdola: cauta fugit.
Omnia tentaui, ſed cum tamen omnia tento:
In caſſum vanæ deperit artis opus.

Hanc mea non flectunt, si flectunt munera Diuos.
Nil valuere preces, carmina, dona, doli.
Quid faciam ignoro. Sed iam: quod sæua placebit:
Efficiam. fiat: quod tibi sæua placet.
Sed precor hoc tantùm cæletur carmen in vrna,
Et tantum paucis scripta sepulchra notis.
Pacificus iacet hic. Genus en hoc mortis. Amauit
Hippolytam. Causas hæc dedit, ille manus.

QVERELA.

NOnnullos mollire Deos, precibusq; rogare
Stat certum, votis nec dare Liba pijs.
Quid possunt? Metus omnis abest. spes omnis adempta est.
Mens mea lœtitia, corque timore caret.
Consumpsitq; suas vires Fortuna nocendo.
Vicerunt omnes, & mala nostra metus.
Non habeo: Superi mihi si sæuire pararent:
Quo noceant, & quo fulmina missa cadant.
Si tonat, & mixti funduntur grandine nimbi:
Villa mihi non est, frugiferumue solum.
Si mare vexatur: nostris caret vnda carinis.
Si venti perflant: non mea silua cadet.
Non caprum mea vina timent, satis haustus aquarum est.
Si miles feruet: bos mihi nullus arat.
Siue Casas sæuus conductas occupat ignis:
Inueniet nullas quas cremat ignis opes.
Si fur nocturnus portarum claustra resoluit:
Libera diuitijs non timet arca manus.
Si pestis grauis ira Deum sua tela ministrat:
Non mea: quæ possint ledere: tela petent.

Omnia

Omnia conciderant Pater, & mihi Mater adempta eſt:
Cum mihi iuncta tribus meſſibus vna foret.
Vnus erat Frater dulcis, Soror vna ſuperſtes.
Marte cadit Frater, febre repente Soror.
Me ſibi connubio iunxit noua Nupta Maritum
Cum tener impleram vix duo luſtra puer.
Sed tandem illa meo cecidit deſpecta cubili,
Treſq; tulit Natos: quos dedit ipſa rogo.
Quo mea protrahitur viuax, atq; orba ſenectus
Inuiſum Terris Cœlitibuſque caput.
Quid tardas ſorbere ſolum? Non terra dehiſcis?
Miſſaq; quid nulla fulmina parte tonant?
Si reſtat ferrum: ferro morientur adacto,
Igne vtar: ſi non ignis ademptus erit.
Sub trabe ſublimi triſtis vel guttura frangam;
Aut alta toto corpore mergar aqua.
Mille aditus mortis mortem cupientibus adſunt.
Viuere mors miſero eſt, ſolaq; vita mori.
Iam mea: ne longis ſubtexam verba querelis:
Vnda, igni, ferro, vel trabe vita cadet.

DE MORTE HIPPOLYTI.

Hippolyte infauſti pignus miſerabile Patris
Occidis effœtum, deſtituiſque Senem?
Hippolyte extremæ ſpes ſola, & cura Senectæ
Occidis? Eſt odio te ſine vita mihi.
Nonne malis tantis, & tot corrumperis? Hæres
Vanus ab hoc necdum ſpiritus ore fugis?
Pectora quid ſcindi ceſſatis noſtra dolore?
Pectora quid ceſſas ſcindere noſtra dolor;

Qui gemitus, luctusq; mihi, quæ verba querelis
Permixta in tantis sufficientq; malis?
Quas lacrimas vocesque dabo? Quæ pectora tundam?
Quas rigido gelidas vngue secabo genas?
Nate tibi ferio claro plangore lacertos.
Nate tibi rumpo, dilaceroq; comas.
Hei mihi qui frustrà clamo, nec verba remittis.
Hei mihi qui tepida non releuaris aqua.
Claudere debueras extincto lumina Patri,
Supremaq; vale dicere voce Pater.
Claudere Nate tuos cogor nunc orbus ocellos,
Et voce extrema dicere Nate uale.
Tu mihi: si quando tristis mea tecta petebam:
Tantum lætitiæ tu mihi Nate dabas.
Multa licet fuerim passus mala: nulla putabam.
Tristitiæ subito dulce leuamen eras.
E' quocumq; loco redeo nunc mæstus at ille
Non releuat mæstum nunc velut ante domus.
Dant fora, dant campi, dant publica iura dolorem.
Cum uideo Infantes: plaga nouata mea est.
Nondum bis quinis iunxisti mensibus annum;
Et tibi detruncant inuida Fata diem.
A te, spesq; tua fuit à Consorte Nepotum:
Quæ mihi turba suo basia ferret Auo.
Esseq; debueras nostri successor, & hæres
Hunc tibi deuotas alter habebit opes.
Maxima cum titulis per te nunc alta iacebit;
Per te, quæ poterat clarior esse domus.
Vltimus hic in te finit dolor, inuida quid me
Viuacem finitis viuere Fata Senem?

Cui

Cui Superi miserum pœnę seruatis? An vlla
  Hac maior qua nunc torqueor esse potest?
Quid restat: quo me possitis lędere? Mater
  Buccia iam cecidit, iamq; Chyralla Pater.
Non Auus, aut Auia est, Matertera nulla, nec Vxor,
  Et nullus Frater, nullaq; cara Soror.
Nil: in quo possit Fortuna nocere: reliquit.
  Missa in me frustra tela secunda cadent.
Deme mihi vitam, vita est pro munere dempta.
  Gratia sit vitæ reddita nulla Deis.
Ille tamen viuet vita meliore, sepulchrum
  Carmine cœlabo, carmine viuus erit.
Hippolytus iacet hic, duo vixit lustra, fuitq;
  Vnica Pacifici cura, dolorq; Patris.

AD PTOLEMÆAM.

ANte minor nunc est maior tibi gratia, cur non
  Est mea nunc maior gratia: vt ante minor.
Difficilis fueras alijs, mihi mitis, es vnde
  Mitis nunc alijs, difficilisq; mihi?
Mirabar: quare tantum pietatis haberes.
  Nunc miror: quare nil Pietatis habes.
Hei mihi quot miseris spes inuidiosa fuisti
  Spes tamen hæc illis non nisi vana fuit.
Vera ne fata Deum? vere sunt omnia uera.
  Sub Cœlo æternum nil statuere Dei.
Vertitur assiduo, minima nec perstat in hora
  Mundus, & instabili non manet axe polus.
Nunc lustrat terras, nunc sol descendit ad umbras.
  Clara dies noctem, nox sequiturq; diem.

Sors

Sors etiam refugit: cito ni deprendis: abibit,
  Sistere non didicit, nec reuocare pedes.
Est resecanda seges cum campus canet Aristis.
  Nil in nudato postmodo falce metes.
Quæ nunc poma gerit grauidis pendentia ramis:
  Postmodo nuda suis fructibus arbor erit.
O' quoties illic: ubi Fons uberrimus undis
  Erupit: puluis, non aqua lecta fuit.
Sæpe: ubi constiterat Tellus: Mare nascitur ingens.
  Sæpe etiam Tellus hic: ubi Pontus erat.
Quantum ætas, anniq; ualent, mutare cadentes.
  Nil primi moris mos habet iste tuus.
Tempora fecerunt crudelem, & tempora mitem.
  Crudelis nunc es: quæ modo mitis eras.
Ast ego semper amo. Nulloq; extinguitur ignis
  Tempore; decrescit non mea flamma mora.
Vror & igne cremor maiori; flamma medullas
  Maior agit; maior corde sagitta sedet.
Creuit amor, quantum creuit tua forma, nec vnquam
  Decrescet, stabit dum mea vita mihi.
Et prius emoriar, tenuesq; resoluar in auras;
  Quam de te nostro pectore cura cadat.
Fortis amor meus est, nec tempore deficit vllo,
  Non me mutaret fulmen, & ira Iouis.
Et tu crudelis nulla pietate moueris.
  Improbaq; in tanto quid facis igne mori?
Iam tibi seruantur, quascumque, ingrata, paraui
  Et nisi tu, nostras nullus habebit opes.

AD

AD LECTOREM.

PAcificum Mater me cur enixa vocauit.
  Quaq; die peperit si legis ista, scies.
Non mihi nascenti, pariturææq; addita Matri
  Pluma : fuit mollis, gramen & herba thorus.
Et quamuis bellis Mauors sæuiret, & armis:
  Per fera Pacificus bella, per arma vocor.
Asculum ab insano nunquam requieta tumultu
  In sancta statuit pace tenere viros.
Et quamuis strictus ciues armauerit ensis:
  Ense procul iacto continuere manus.
Oscula confundunt, iunctisq; amplexibus hærent.
  Implentur lachrymis parte ab vtraq; genæ.
Inque vicem parcunt, culpamque, & crimina damnant,
  Et qui fabrili duxerat arma manu.
Pro Nato Mater saluo, pro Coniuge Coniux
  Imponunt sacris thura sabęa focis.
Festa dies agitur: tristis non vnus in Vrbe
  Est locus, ex omni gaudia parte sonant.
Gaudia dum resonant : repetit peruulsa furorem,
  Et quæ turba modo iecerat : arma capit.
In telum telum furit, & furit ensis in ensem.
  Funditur hinc, illinc multus vtrinq; cruor.
Oraq; sub pedibus calcant : quibus ante dedere
  Oscula, & amplexu quos tenuere, terunt.
Vna sed inclinat pars, & fera vulnera tergo
  Excipit, in faciem plurima turba cadit.
Se tegit ingenti Clypeo, tardatq; recedens,
  Incursus animo deficiente Pater.

Seque

Seque domo recipit, postesq; & limina firmat
  Hinc Populus, Pater hinc, solaq; Mater erat.
Iamq; dies ierat, noctisq; reliquerat vmbram,
  Non cessat, feruet sed magis vsq; furor.
Fundamenta domus parat hic euertere ferro,
  Cum Domino parat hic tecta cremare face.
Dumque faces, sæuosq; ignes, ferrumque ministrant
  Labuntur taciti fune iuuante domo.
[a] Inde vrbe egressi ripas, & Fluminis vndas
  Transcendunt, fugiunt, qua via nulla fuit.
Sed tardus læta spina Pater ibat, at illa
  Tardior, & gressu non erat æqua viro.
Cornua iam noues toto contexerat orbe
  Luna, tamen grauidi pondera ventris eram.
Ad Riuum postquam Venrum est, quo [b] Murrus ab Vrbe
  Enumerat lapidem plusue, minusue quater.
Subsedit non certa sui, se tollere terra
  Pondere siue vteri, siue timore nequit.
Fugerit ante licet pauido longæuus asello,
  Non qua constituit parte Marinus erat.
Dumque meus Pater hunc Fratrem sibi querit ademptum
  Inuenit à rapidis ora recepta lupis.
Sicut erat, bibulæ mæstus mandauit arenæ.
  Et male congesta contumulauit humo.
[c] Hinc Riuo æternum mansit per sæcula nomen
  Deq; mei seruat nomine nomen Aui.
Iam Cœlo exoriens Stellas Aurora fugauit
  Phœbus & Eoos curribus egit æquos,

Clamabat

a Truentum Flumen.

b Murrus Mons est prope Asculum vbi quondam non ignobile Castrum, modo nonnisi Rudera, & vulgo dicitur Rocca di Murro.

c Riuus prope Murum apellatus est Marinus, quia ibi tumulatus fuit Marinus Pacifici Maximi Auus.

Clamabat Mater, dextra Pater ora premebat
  Non valet ad partus illa vocare Deos,
Me parit, & ne quis veniat vagitus in auras
  Prouida compositis frondibus ora tegit.
Illa fuit nobis similis tibi Romule, quamuis
  Te defecta creet, me licet orta dies.
Et quoniam simili iacuisse sub arbore fertur
  Pacifico nomen suspicor esse mihi.
Vel quia Panticibus laxis mea pectora pendent,
  Vel quia non passus prodere voce fugam.
Vel quia vana fuit Pax, & data dextera dextræ,
  Vel quia sub ficta Pace tulere necem.
Aut cum victori fuerint contraria Paci
  Nomina, voce Pater me meliore vocat.
Aut certè falso subtexit nomine nomen,
  Aut voluit fatis omnia certa dare.
Seu quia Potificus (poto bene); siue momordi
  Os oriens, ficum maxima turba vocat.
Tendimus in [a] Camplum, sed quò post mille labores
  Venimus, & fessis portus & aura fuit.
Ardua depressis mihi si conferre licebit,
  Si nec erit magnis iungere parua pudor.
Sic iam Cyre tibi Sylua est blandita, tibique
  Romule diffusis Rumula lata comis.
Sic gratum Eneæ Latium; sic mora profundo,
  Delos Latonæ; sic fuit Ida Ioui.
Dum Campli castriq; noui ripæq; Nocellæ,
  Stabunt, illius semper amator ero.
Immemor accepti non vllo tempore fiam
  Pro quo me vitas ponere mille leue est.

[a] *Ciuitas in Regno Neapolitano.*

 A D

AD AMICOS.

ESto procul quicumque meum te dicis Amicum
Inque meo nullum limine pone pedem.
Iunctus amicitia si quis fuit ante, recedat:
Si mihi vel Pylades; Piritousq; foret.
Et sibi quisque vacet; curet mea nemo, sat ipse
Sum mihi, quisq; suas res agat, ipse meas.
Quid mihi cum socio? Cur quæ mihi solus habere
Possum, dimidia nunc ego parte velim.
Nullus amor, Regnumque potest commune teneri
Hæc duo cum socio non bene iuncta manent.
Est mihi subq; meo cælatur Corde Puella;
Et magis hæc ebore est, & magis alba niue.
Quam licet obseruem oculis sequacibus; aer
Ne subitus rapiat membra timore rigent.
Vt mota lepores, vt ranæ fronde mouentur
Sic moueor, vento si crepuere fores.
Est eiecta domo; dominæ ne basia ferret
Inter ludendum blanda catella meæ.
Et mihi Passer erat, sed & hic mihi causa timoris
Cum foret; e cauea est libera facta via.
De ligno quodcumque fuit, vel marmore signum
Eduxi, stultum est hæc retinere domi.
Quod mentem, & sensum capiant simulacra capacem;
Sit satis exemplo Pigmalionis Ebur.
Nil amor esse putat tutum, semperq; timori
Seruit, sollicitum noxq; diesq; videt.
Me semper gemitus, languor, suspiria, luctus,
Et dolor, & Pallor curaq; tristis agit.

Sum

Sum miser, & videor felix, dicorq; beatus:
Hei mihi qui cæcum pectore vulnus alo.
Nemo se melius sese scit; cogat in vnum
Cuncta, volet semper quisq; referre sua.
Non hoc esse, quod est, aliud sed sæpe videtur
Quæ sunt nigra etiam, candida sępè putas.
Et dulci tetrum miscetur sæpè Venenum.
Pungitur Vrtica, qui legit unque Rosam.
Hei mihi, quæ potui vitæ dare Tempora, sæuus
Me miserum si non implicuisset Amor.
Grande onus est humeris, nec par ceruicibus hæret.
Et mea non æquis sunt data colla Iugis.
Implicitus sum sorte mea, sic voluor in orbem.
Vt multo Turbo verbere, & arte citus.
Sed nihil est, quod Superorum numina possint.
Quod dederant alijs; dent precor illa mihi.
Salmacis admixta est puero; fit fœmina Cæneus;
Mas modo; fitq; Hyphis mas in Hyante sua.
Quod si tantillum starent sua tela; putarem
Me Cœlum pedibus supposuisse meis.

AD MARCVM.

NOn meliore mihi poteras occurrere Marce
Quam nunc, non vllo commodiore loco.
Dispeream, si non animus, sensusq; fatiscit,
Defectosq; artus frigus, hyemsq; subit.
Sæpè loqui tecum volui, sed verba palato
Hæsere, & subito est lingua reuicta gelu.
O' quotiens lachrymæ, quotiens suspiria flammæ
Certa per indicium signa dedere meæ.

Quid velit hæc macies, quid pallor, & vnda, cibusq;
Ore meo fugiens, curaq; nulla tibi est.
Sed pia simplicitas facit hoc puerilibus annis;
Canaq; virginitas te facit esse rudem.
Nescis quid valeant aurata Cupidinis arma
Nec tua senserunt Pectora quid sit Amor.
Durius hoc nihil est, nihil hoc, & amarius vno;
Hoc dempto mortes mille subire velim.
Scire velim si me penitus vult perdere, vel si
Vnquam erit vlla meo spes adhibenda malo.
Vel modo det vitam, vel vitæ tempora demat
Viuere vel statui, vel modo velle mori.
Arbiter omnis abest, locus est sine Iudice tutus
Fœmina nil poterit masq; referre nihil.
Hic inter Salices, & prata virentia, ludum
Frondibus immixtos arbor opaca teget.
Riuulus hic dulci suadebit murmure somnos
Multaq; de ramis quæ bene cantat auis.
Lætior in Terra, nec Cœlo est alter & vllus,
Non me maiorem cogitet esse Iouem.

PACI-

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI HECATELEGI

LIBER TERTIVS.

AD LECTOREM.

NOn Exceptio filijs Parentum
A' Marco Cicerone præparatur
In quantum valet, & poteſt valere:
Cecinæ quotiens domum rogauit
Vt natus ferat, & legat libellum?
Quid Craſſus magis altero placebat
Vnus Publius? & tamen putabas,
Illum me fore continentiorem.

DE PVELLA.

QVisquis amat longum non ſit ſibi tędia Tempus
Atterere, & tardis currat vt annus equis.
Vidi ego montanis molleſcere collibus Vuam
Quæ vento, & glacie dura, rudiſq; fuit.
Oraq; Marmorei quotiens conſumpta notaui
Fontis, dum gelidæ ſune trahuntur aquæ
Sæpè Ioui pes eſt iterum formatus aeno
Admota triuit, quem pia turba manu.

Quid docuit rigidis aures præbere magiſtris
  Hyrcanas Tygres, parrhaſiaſq; feras?
Quid docuit libycos domino dare colla Leones?
  Quid facit vt redeat, cum citat alter auem?
Omnia maturo tempus producit in æuo;
  Et quod non poſſes credere tempus agit.
Quod numquam rebar fieri, quod poſſe negabam:
  Quod ſpes nulla dabat, longa dat ecce dies.
Hæc eſt quæ totiens mortem iurauit amanti,
  Quæ voluit totiens in caput ire meum.
Non hæc, cum vidit laqueis ſubnectere colla
  Cumque enſem vidit ſtringere, triſtis erat.
Ridebat lachrymas, gemitus ridebat amaros
  Et mea ſpernebat carmina, dona, preces.
A' cane vexato fuit hæc truculentior Apro
  Hæc & calfacto ſæuior Angue fuit.
Nunc me ſuſpirat, de me nunc cogitat, illi
  Nunc ſine me nox eſt, nunc & amara dies.
Ergo ego ſum felix, Ioue ſum fęlicior ipſo:
  Audiat hoc quamuis, inuideatq; licet.
Hoc etiam eſt aliquid; patior poſt mille labores;
  Sæpe fatigato plus placet ore cibus.
Qui mala ſunt paſſi, quæ ſint bona noſcere poſſunt;
  Ardua qui fuerant per loca; plana volunt.
Tum ſapiet vinum, cum prægnſtatur Acetum;
  Felleque libato dulcia mella iuuant.
Triſtis eram quondam, curaq; premebar amara;
  Nunc ego ſum lætus, curaq; nulla premit.
Longa dies dedit hoc; dedit hoc patientia nobis.
  Cunctando felix exitus ipſe fuit.

Difficili

Difficili, & duro nemo desperet Amori
  Si, quod amat, quis uult: discat amare diu.

AD PRIAPVM HORTORVM PRÆSIDEM.

MIles in Arma furens rigidum vocat horrida Martem:
  Si quis amat, facilis sit rogat usq; Venus.
Pallada qui lanas, Cererem qui ducit aratra;
  Tutorem Pecudum Panaque Pastor habet.
Mercurius furi, pariturę maxima Iuno
  Et uenatori casta Diana fauet.
Te, natumque tuum pudet ad mala nostra uocare.
  Carminibus uires te dare Phębe sat est.
Hortorum custos tu solus summe tuorum
  Arte salutifera magne Priape faue.
Sic tibi non desit maturi copia Pomi
  E' manibus nullus fur fugiatq; tuis.
Sic tu considas tectis sublimis eburnis
  Nec Sol exurat, nec grauet unda caput.
Si Neptunnus opem nautæ prębere negabit.
  Fluctibus in modicis obruet unda ratem.
Quod si Vulcanus nulli succurreret igni
  Flagaret subito quęlibet igne domus.
Tuq; Priape meum si non properabis ad hortum,
  Decidet, heu non hic nobilis hortus erit.
Ante meis oculis orbatus priuer, & ante.
  Abscissus fædo Nasus ab ore cadat.
Sed semper lætis didicit Fortuna nocere.
  Indoluit nostris inuidiosa bonis.
Lætior heu toto me non erat alter in orbe.
  Si perit hic, non me tristior alter erit.

Aspice

Aſpice me miſerum precor, ò per poma, per hortos
  Per caput hoc ſacrum, per viridemque thymum.

DE LVSCA.

LVſcam amo, nec minus hanc vellem, ſi cæca fuiſſet
  Non opus eſt oculis plus ſatis vnus erit.
Lumina ſi quis habet teneat precor; & tegat illa.
  Nam me cum videor, non iuuat vlla Venus.
Hoc & honeſtatis, iubet hoc, & cauſa pudoris
  Stultus erit ſi quis non ſua furta tegit.
Nemo vnquam potuit patiens mea furta videre
  Quod facta hæc: non vt facta, referre poteſt.
Aſpicio multos, quos viſus paſcit inanis
  Et iuuat inſana ſe ſaturare face.
Hos ego non timeo Riuales mille; timerem
  Vnum illum inſidias, qui locat arte magis.
Hos caue qui vadunt ſoli, qui lumina terræ
  Defigunt, mutos quoſq; putare potes.
Quis me cum ſocio videt vnquam, ſemper in urbe.
  Solus eo, ſolus per fora, perq; uias.
Raro ſolet magnis rebus ſe accingere, qui ſe
  Iactat, & in cunctis dicit habere modum.
Ardua qui loquitur, minimo ſolet ille timere
  Qui latrat prædam non capit ore Canis.
Pinguibus, ora tenet, qui tendit Retia Turdis.
  Neue pedes crepitent callidus arte locat.
Crede mihi, pauci norunt bene uiuere, nullus
  Me melius uiuit, uel meliora facit.

DE PVELLA:

NI videat lacrymas: à me non credit amari
  Lux mea; ſic etiam me dare verba putat.
Cum bene iuraui: iurem tamem illa rogauit,
  Et cogor teſtes rurſus habere Deos.
Flamma meo dixi feruet ſub pectore, dextram
  Subijcit, & flammæ nil habet iſtud ait.
Illam etiam medio queſtus ſum corde ſedere.
  In te ſi ſedeo: quod petis, inquit habes.
Et quotiens morior clamaui: rettulit illa,
  Non hominem vidi non moriendo mori.
Dij facerent: facili nudarem pectora dextra;
  Inſpiceret vulnus: quod miſer intus alo.
Quod ſi luminibus poſſet deprehendere curas:
  Vt calybem vincat, non mihi dura foret.
Dura tamen non eſt, calybem nec pectore nutrit,
  Peius habet; rebus non dat inepta fidem.
Vt reor: hæc vltra non credit culmen; & vllum
  Infernum, aut ſuperum non purat eſſe Iouem.
Semper in errorem Sors me traducit, & offert
  Neſcio quid monſtri, quid fatuiq; mihi
Fœmina res vana eſt, & nullo conſita ſenſu;
  Res mala, vel debet falce; vel igne mori.
Debuit hæc nunquam naſci; vel nata reuelli:
  Non errat toto peius in orbe malum.
Et meritò; quid enim totiens genus illud amare
  Conor, & eſpertas quid male tento vias?
Non auis orditur nidos: vbi perdidit illos,
  Quaq; ratem rupit: Nauita vitat iter.

Et qua ceciderat vecors : it cautus Asellus,
Hic quoq; ne rursus corruat : vsq; timet.
Illud non facio, nec tu (puto) Lector, & illud
Si facerem : qui me iure probarer : erit.
Et nostræ quamuis sit turpe, nephasq; Senectæ:
Cogerer inuitus turpe, nephasq; sequi.
In Syrpo nodum quæro. Bona nostra Puella est
Sed quam nunc habeo : non ego nosco bonam.

DE AVARA PVELLA.

FVrabor; tutum nihil est mihi credere; clausa
Si sit : non dubito rumpere claustra domus.
Omnia diripiam, spoliabo & templa Deorum.
Omneq; custodit quod penetrale sacrum.
Subducamq; Ioui fulmen, Fratrique tridentem.
Tutaque non nigri regia Ditis erit.
Non timeo Cyrphin, subitos nec ab æthere nymbos
Priuabo donis delphica Templa sacris.
Si poma Hesperidum si vellera Phasidos essent:
Vellera nunc à me, lectaque poma forent.
Vana sepulchrali me sæpe Semiramis auro:
Falleret, & non Rex, sed fuit illa mala.
Si mihi clausus equi, qui iam fuit anulus aluo:
Nunc foret : à nullo conspicererq; uiro;
Perdita non essent in me mea munera; nollem
Reginam; aggestas, sed bene Regis opes.
Si nossem Infantis costam, teneramq; medullam,
Et quo Saga suum corpus inuncta latet:
Essem per populum nullà sub imagine uisus,
Ante oculos Domini, diriperemque bona.

Si

Si mihi thesauri magica spectentur in unda:
Infernum effoderem nocte, dieque solum.
Si scirem æternæ lapidem componere massæ:
Aurea perpetuò quęlibet æra darent.
Diues eras, fœlixque Myda, nec munera noras.
Quid te in Pactolo stultus, inersq; lauas?
Nunc per Pactolum pauper piscabor, & Hermum,
Perq; Padum ducam retia, perq; Tagum.
Rimabor quidquid Bessus rimatur, & Astur.
Rimabor Cornu quod Dea cæca tenet.
Res mea non agitur verbis; sed habere necesse est:
Vnde meæ Dominæ plena sit vsq; manus.
Vsq; petit nummos Nummi sunt semper in ore.
Et mihi: si nummos non videt: vsq; negat.
Vsq; negat: si non multo sinus ære crepabit.
Tunc me: cum numero: spectat, amatq; libens.
Omnia cum dederim, cum nil mihi restet: habere
Hanc volo, sed poterit nil; nisi furta dare.
Omnia tentabo subitus crassator adibo
Quemuis, nummorum sit modo facta fides.
Si das: est nobis cum nata natus, & vxor.
Sub te cum nata natus, & vxor erat.

IN POTENTES.

CVm Deus ipse aliquem uoluit disperdere: primum
Dicitur huic sensum surripuisse bonum:
O bene quod cęcas obscura nocte tenebras
Regibus obiecit, Principibusque meis.
Nemo magis famam, nemo magis optat honorem.
Sed minus est honor his, partaq; fama minus.

Gloriaque appetitur claris augusta Triumphis
  Nulla triumphali gloria laude uenit.
Viuere post obitum, mortemque excedere quærunt:
  Non tamen ante obitum se cecidisse uident.
Vt pecora, utq; feræ sacræ rationis egentes:
  Sic hi corporibus, funeribusq; cadunt.
Nil ultra cineres superest his, dederit uno
  Interitu nomen, gloria, fama, decus.
Vno omnes falso, cæcoq; errore trahuntur.
  Et de recta omnes deuius error agit.
Ignorat quo Fama loco, qua parte moretur;
  Et qua non debent parte tenere: tenent.
Aspera Virtutum uia surgit, & obsita segni est
  Sentibus, & qua non improbus ire potest.
Hæc eadem plana est solerti, & libera dumis,
  Et qua: cum libuit: non timet ire probus.
Sede moram uitium, nec uirtus contrahit una
  Hæc duo discordi pectore bella gerunt.
Hi Vitio Virtutis iter, laudisq; requirunt,
  Et famam humanis rebus inesse putant.
Hinc, & opes, gazasq; parant, tantiq; tenentur:
  Quantum numorum non dedit una sitis.
Sed tamen hi quales, quid sub ditione tuentur
  Itala cum tellus seruiat una tribus.
Non fuit hæc uni quondam satis: & tamen omnes
  Miratum credunt, quod Solon isset opes.
Quicquid habent lapides, & calx, & arena trabesq;
  Accipiunt; uiuit Pusio, Leno, Cocus.
Edificant ueluti miranda palatia: tales,
  Quales sub te habuit Romule Roma casas.

Templa

Templa Iouis non hi , non hi nouere Dianæ;
Nec quas Pyramides barbara Memphis habet.
Non hi pensilibus radiantia saxa sub Hortis;
Fœminea structam nec Babilonia manu.
Dispeream : cum castra locant , cum prælia miscent :
Si sunt in genibus illa notanda meis.
Quis foret his animus : si rupta plurimus Orca
In medijs Coluber sibila ferret aquis,
Cornibus accensis si Bos arderet, & Inda
Post sua mugitum Bellua terga daret?
Quis velit horrendum telis, & corpore Gallum
Oppugnare : licet plurima cogat auis?
Scilicet est hodiè : qui se se deuouet hosti :
Vt suus hoc miles sanguine victor eat?
Quis sibi succidi pontem post terga iuberet,
Cumq; armis rapidæ scinderet æquor aquæ?
Quis sibi detecta nudaret Cornua fronte
Fronte sub imperio Cornua nata suo?
Fraude, doloque volunt hodie regnare, nec vllum
Inuenies hodie qui velit esse probus.
Pro minimo Natas cum cara Coniuge nummo
Tradunt & Nummum : Numen vt esset : amant;
Et miseros Vates, & solis Regibus ortos
Extremà gaudent morte, fameq; mori.
Digerere hoc quamuis faciant : nos reddimus illis
Nostra nec à dumis libera vestis abit.
Aut taciti transimus iter sine nomine Regum,
Aut turpè infami carmine nomen habent.
Inspice : quot nostros habeat liber iste potentes
Inspice : supremis si petit vmbra rogis.

Tempore

Tempore deficient vrbes, & mœnia. Libri
Deficient nullo tempore ſcripta mei.

DE PALMERA.

O Ego quod bellum tempus ſum nactus Amicæ:
Si Fortuna meo non nocet vlla bono.
Non miror fuluam Creſi nunc diuitis arcam
Alcinoiq; omnes deſpiciuntur opes.
Non vllum occaſus, non ullum uidit, & ortus:
Qui mihi lætitia ſe putet eſſe parem.
Det Mare Neptunus, Stygam Pluto, Iuppiter Aſtra:
Mutarem Superis non bona lecta tribus.
Hæc ego ſi facerem: poſſem bene ſtultus haberi
Qui bene ſtat: caueat ſe remouere loco.
Diuitias animus lætus complectitur omnes
Non ullas animus triſtis habebit opes.
Contentus ſum ſorte mea: nil amplius opto:
Nam mihi nil addi, nilq; deeſſe poteſt.
Si modo quod teneo non vllo tempore deſit,
Si ſit perpetuum, perpetuoq; fruar.
Quam bene conſtitui vitam mihi, quæque beate
Quilibet vt viuat: diſcat ab arte mea.
Vt volo nunc adamo placidam, & ſine labe Puellam:
Qua nihil eſt melius, ſimpliciuſq; nihil.
Credere non poſſes quanto me obſeruet amore:
Quantum amet, & quanta ſeruiat illa fide.
Nil capit hæc à me, ſed ſi quid porrigit alter,
Accipit, acceptum reſtituitq; mihi.
Illa ego dum viuam, viuat, mecumq; peribit.
Deficietq; illi cum mea vita mihi.

Illa ponit menſas, cœnamq; miniſtrat, & omnes
Ad mea (nil ſumit) porrigit ora cibos.
Si quis erit nobis hoſtis: defendit ab hoſte.
Nec ſinit vt lædat: membraq: tuta facit.
Illa modo: pro me Superiſq; viriſq; minatur
Pro me nunc Superos, nunc rogat illa viros.
Hæc, & plura facit, ſed nec narrare decebit:
Vt cito perficiam: quo iuuet illa modo.
Quis non inuideat? quis non putet eſſe beatum?
Quis non ante homines ponat, & ante Deos.
Si quis erit facilis ſenſus, mentiſq; capacis:
Ne mea diuulget quæ ſit amica rogo.

AD ALPHONSVM.

ALphonſe eximium decus, & noua gloria Martis[a]
Salue: victrici qui regis arma manu.
Quid veniam, quid forte ſequar tua caſtra requiris.
Sumq; per armatos res noua forte viros.
Miraris telum tremulis retinere lacertis,
Duraq; defœta bella mouere manu.
Miraris canos depreſſos caſſide crines,
Et quæ frenati terga premamus equi.
Quod male conueniant non ignorauimus arma.
Ferre decet Iuuenes, non decet arma Senes.
Hic ego non ullum ſpero uiolare, nec ullum
Grandia de uili gaudia ferre nece.
Hoc animus, uireſq; negant: pudor impedit illlud
Tingere quis minimo ſanguine tela uolet?
Cum ſene caſtra ſenex adijt quoq; Neſtore Calchas
Eloquio bonus hic, & bonus alter aue.

a *Alphonſus Aragonius Rex Neapolitanus.*

Vilis

Vtilis hæc ætas, nec contemnenda Senectus
  Forte tenet: quod non forte tenere putas.
Hactenus in sterili campo mea semina ieci
  Nulla diu ex illo reddita messis erat.
Sæpe dabant gemitus tamquam mala nostra uiderent:
  Dum iuga ducebant uana per arua boues.
Nil præter Musas, nil præter carmen amaui;
  Non alia in nostro pectore cura fuit.
His ego credebam sublimia tecta parare,
  Et non inculti iugera lata soli.
Me miserum cæcus quo me deflexerat error.
  In quantas tenebras duxerat iste furor.
Hei mihi non meus est miserorum campus Auorum,
  Et domus, & quicquid manserat ante domi.
Nec mihi sunt uestes: sunt hæc pro uestibus arma.
  Hæc mihi si tentas demere: nudus ero.
Hic equus est oneri: si quis mihi prandia præbet
  Hunc habeat: nobis noxius hæret equus.
Cuncta mihi dederat nuper traiectus ab hoste
  Miles, & hæc meriti præmia dixit habe.
Et ualuit, sanusq; fuit, rursusq; reuixit,
  Et fuerant sparso uiscera rupta cibo.
Hac ope perueni: ne quis tuus occidat vnquam
  Miles: erit nostra quisq; leuatus ope.
Sanus erit; cunctis si telis obruat hostis,
  Mille lacer sparsus si foret ille locis.

EXPISCATIO.

NOcte sub externa pluuialis decidit imber,
Vndaq; montanos plurima lauit agros.
Turbidus excedit longe vada nota Truentus,
Et caua limosis saxa reuoluit aquis.
Quid statis pueri? Sinitis quod nobile tempus
Ire? Decet pisces quemq; tenere bonos.
Ite citi, nudiq; omnes deponite vestes,
Et piscaturo se mihi quisq; paret.
Menteq; sub memori facienda tenebitis omnes.
Diuerto, è media, sæpeq; poto via.
Cistellam fer Lygde tuam, tu Marce catinum,
Dindime tu concam, tuq; Rapale lyca,
Ipse feram retro contum, ducam ante ligonem;
Non ero ad officium segnis iners q; meum.
Line resiste parum; nimium facit ista sitire.
Me via; confidas; & mihi deme sitim.
Si similes hodiè pisces fortuna parabit,
Omnibus extensus quid bene venter erit.
Surge Truentinum populus descendit ad amnem,
Forsitan & nostras increpat ille moras.
State; nisi expertis nullus se se audeat vndis
Credere; tentabo quemq; regamq; locum.
Hic est alta nimis, nimis hic se lympha cohercet
Hic nimium laxa est, hic quoq; Ficus inest.
Hæc leuis. est, non est, hæc formidabilis vlli,
Non laxat, non hæc seq; cohercet aqua.
Postume festina, propere, teque ante parata
Oppone, & facili retia solue manu.

 Impetus

Impetus vndarum minor hàc, & mitior ibit.
  Tu modo ſubſtineas, & tua terga ferant.
Teq; parum laxa, peſq; hic fac diſtet ab illo
  Longius: vt piſcis laxius ima petat.
Voſque omnes ſimul ite alij, fontemq; petatis
  Fluminis, & totis vertite flumen aquis.
Ducite plus nimio palum per longa profundi
  Antra loci, & valida voluite ſaxa manu.
Iamq; vndas, limumq; mouent, & ſaxa reuoluunt.
  Huc aderunt: longas non teret hora moras.
Ecce adſunt, iterumque vndas, iterumque retundunt
  Feſtini, & multo piſce premuntur aquæ.
Poſtume quid ſentis? implentur retia? fortem
  Nunc animum totis viribus adde tuis.
Maturate omnes, nequit hic plus ferre; ſatiſque
  Subſtinuit, fortem voſque ſubite parem.
Tollite, & ad terras ſublimia ferte remotas
  Retia: ne in patrias præda recurrat aquas.
Fortunata dies ſatis eſt: maiora petitis
  Sunt hæc, & votis ſunt potiora meis.
Hic pedis vnius, pœnè hic eſt ſexquipedalis
  Hic ęquat cubitum, complet & iſte manum.
Prȩſentem (ſatis eſt, ſatis eſt) differre laborem.
  Diuerſum prima luce petemus opus.
Ducite cum canibus cras retia. Fallere piſces
  Vos hodiè docui, craſque docebo feras.

QVERELA.

SOrs mea, me miſerum, quibus eſt oppreſſa ruinis?
  In quantis tenebris hæc mea vita iacet?
Viuo miſer: qualis nullus iam vixit. Habebant
  Maiores Codrus pauper, & Irus opes.
Conſumpſi: quicquid ſtulti liquere Parentes.
  Plena mei quondam, nil habet arca Patris.
Quid volui ſtultus miſeras ediſcere Muſas,
  Et ſterili fatuum cingere fronde caput?
Æs dedit ex iſtis nullus mihi; nemo redemit
  Carmina; dona diu non dedit vlla manus.
Quod ſi, forte meum laudatur carmen: habebo
  Carminis hanc laudem, præmia ſumma mei.
Quid faciam? ſi non quicquam bene viuere refert,
  Si refert quicquam viuere, nolo, male.
Spernor vt inſanus; pueri mea pallia rident.
  Summa ſolet cultis veſtibus eſſe Fides.
Paupertas odioſa iacet, nec amatur ab vllo.
  Es pauper? Cuncti mente carere putant.
In numis laus eſt, & tanti quiſq; tenetur:
  Sub tecto quantas accumulauit opes.
Fac habeas: ſi Templa forent ſpolianda, vel ipſo
  Extorquendus erit naſus ab ore Iouis.
Nemo petit quà res ſibi quiſq; parauerit arte,
  Sed petit, an rebus ſit bene plena domus.
Omnia confuſo turbantur in ordine rerum,
  Nec diſcrimen habent peſſima mixta bonis.
Omnia Fata trahunt nihil eſt, quod lege tuetur.
  Ius iacet, & nil ſe ſub ratione regit.

Quis putet esse Deos? quis non neget esse Tonantem?
Humanæ nullum res moderamen habent.
Non est hic sapiens: Superos qui cogitat vllos
Esse Deos; Vatum fabula vana fuit.
Nunc ego mille artes tentabo discere mille;
Vt viuam: faciet res operosa manus.
Aut ego messor ero, vel campi durus arator,
Aut ducam remos per freta longa graues
Hei mihi, quod serum est hoc querere: sera Senectus
Me grauat, & baculo membra leuare petit.

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI HECATELEGII

LIBER QVARTVS.

AD LECTOREM.

HVnc caſtus puer, & puella diſcat
Nullas nequitias gerit Libellus.
Hunc Pallas legat, & Diana; Iuno
Æſtro verberet hoc ſuum maritum,
Vulcanus Venerem: receſſit omnis
Audito titulo repente turba
Fiet nequior omnibus Libellus,
Fiet peſſimus omnium venite.
Nimirum populus redit, ſed ingens:
Poſtquam nequitias nouas repono.

PROFECTIO.

TAndem ego conſtitui patria diſcedere Terra,
Aruaq; Piceni linquere culta ſoli.
Aſculum, & excelſæ turres, ponteſq; valete,
Cum [a] Sancta valeas tuq; Truentus Aqua.

Voſq;

[a] *Aqua Sancta. Caſtrum ab Aſculo duodecim miliaribus diſtans in occaſum, ubi Thermæ aquæ ſulphureæ, & maximè ſalutaris, unde loco factum eſt nomen Aqua Sancta.*

Vosq; * Paregnani iuuenum oblectamina campi
Cum tot delitijs, totq; valete iocis.
Non ego sum Bellis, non vllis vtilis armis.
Nullaq; respersо tela cruore iuuant.
Paci ego sum natus: Pacis de nomine Mater
Pacifico nomen, non mihi dura dedit.
Quid me tunc animi, quid me tunc credis habere
Mentis: ciuili cum manus ense furit?
Mille pati videor mortes, & mille sagittas.
Si quis fortè cadit, forteq; vulnus habet.
Non ego sum Cadmus, nec sum peregrinus Iason:
Terrigenas Fratres vidit vterq; mori.
Non sum fortis in hoc: possum hunc non ferre dolorem.
Vt cadat ante oculos ille; vel ille meos.
Quid Mars alme parens finis, vt tua mœnia quasset?
Quid finis, vt tecum prælia Picus agat?
Quis vidit Venerem Cypro fera bella mouere,
Quis fera Iunonem bella mouere Samo?
Quando quies erit hic? Quando hic dormire licebit?
Quando hic sollicitus non dabit arma furor?
Sæpeq; Bella mouent aliæ, sed sæpe quiescunt
Vrbes; hic nullo tempore Bella silent.
Cum sopisse putas alta se Pace Furorem:
Sopito maior surgit ad arma Furor.
Semper agit lites Frater, cum Fratre; Paterq;
Insidias Nato præparat, ille Patri.
Quæ pax est teneris sæuis cum Tygribus Agnis:
Hæc est aduersis Ciuibus vsq; meis.
A liquidis vndis rapidus velut ignis amatur:
Sic hos, aut illos vnus, & alter amat.

* *Paregnanum. Nomen est Agri suburbani extra Portam septentrionalem.*

Omnia

Omnia ſed ſi non Fatorum arcana putantur
  Vana , nec eſt Aſtris omnis adempta fides:
Succedent meliora malis cum * Marce Polyxin
  Tanges , cum curres tuq; Truente retro.
Ad fontem quando properare videbo fluentum?
  Mons acies quando iunget vterq; duas?
O vtinam noſtro ſint hæc in tempore; & ante:
  Quam mea claudantur lumina , quiq; cadam.
Cedam ergo interea; nec vbi mea tecta reponam
  Stat certum. Quo me pes volet ire : ſequar.
Omnis erit Tellus melior mihi : libera Virtus
  Omne ſolum magnam non putat eſſe domum.

A D   X I S T V M.

HOſpitio Farneſa domus gratiſſima Muſis
  Me tenet, & toto pectore larga fouet
Blanditur ſine fine mihi , ſine fine benignas
  Pandit opes cunctis officioſa bonis.
Et modo largitur: quicquid grauis arca cohercet,
  Et nunc ſecreto quæ latuere loco.
Non faſtus, tetricæque minæ, vultuſque ſeueri
  Errant. Triſtitiæ terga dedere fugæ.
Gaudia læta vigent nullis offenſa querelis.
  Auditurq; omni non niſi parte iocus.
Hic ſitus è terra delectus creditur omni;
  Non eſt in toto gratior orbe locus.
Non ſentitur hyems, non hic ſentitur, & æſtas.
  Sed ver æternum, perpetuumq; viret.

Colle

* *Marcus, & Polixin. duo montes in Agro Aſculano e regione oppoſiti; mons enim diui Marci ad meridionalem plagam occurrit, Polixius autem ad ſeptentrionalem.*

Colle tumet modico medijs porrectus in vndis;
   Lympidus exultat parte ab vtraq; lacus.
Insula sed non est paruæ discrimine terræ,
   Nam gracilis geminas separat Isthmus aquas.
Si loca forte iuuat, diuersaq; regna videre:
   Te per regna ferret per loca Linter àquis.
Et si te pisces calamo saliente iuuabit
   Ducere, non vacuus piscibus hamus erit.
Arboribus circum densis stat consita Sylua
   Grataq; perpetuis decidit vmbra comis.
Sæpe sub hac, Driades lentas duxere choreas,
   Paneq; conspecto destituere choros.
Siue plagis turdos cupies, seu fallere visco:
   Multa cadet visco, multaq; turba plagis.
Ad te iam referet (demas modo vincula collo)
   Suspenso leporem gallicus ore canis.
Plurima vitis amat collem, placidoq; tenore
   In cliuum serpit, continuatq; chorum.
Vua racemifero stillat de palmite dulcis:
   Quæ daret è pleno pinguia musta lacu.
Pomaq; dependent ramis mellita recuruis.
   Multaq; Picenos vincit oliua cados.
Et pira non desunt dulci condita sapore,
   Syluaq; multarum dat genus omne nucum.
Aerius medio vertex se attollit in altum,
   Saxum ingens, omni parte recisus apex.
Hic Arx insurgit sublimibus ardua muris,
   Summaq; præruptis turribus astra petit.
Non ignem ferrumq; timent, tormentaq; belli,
   Ridet, & irati tela trisulca Iouis.

Quis

Quis nunc ſorte mea, non me putet eſſe beatum:
  Aut quis, nunc Superis me neget eſſe parem:
Qui fruor his opibus, ſemperq; virentibus herbis
  Lentus, & argutas qui vagor inter aues?
Summe Pater, rerumq; caput, tutela, ſaluſq;
  Longa tuos tardat quæ mora Xiſte pedes?
Ornatur iam tota domus, iam pingitur aula:
  Vndiq; diſtringunt aurea fulua iubar.
Iam creſcunt herbæ; iam prata virentia florent;
  Teq; tua expectant poma legenda manu.

AD BICTINICVM.

QVid Romæ faciam quæris Bictinice, dicam,
  Quicquid erit nobis vtile; quicquid opus:
Nam non ſorte mihi ſunt artes mille, manuſque
  Ad quæcumq; voles, ingeniumq; capax?
Magna mihi fictæ eſt, & blandæ gratia linguæ;
  Meq; loqui credis mella; venena loquor.
Quod laudare cupis laudo; damnare quod optas
  Damno, ſed vultu: quo decet iſta gero.
Quodq; modo dixi: mox me dixiſſe negabo;
  Mendaci dabitur non minor ipſa fides.
Et dicam falſo, cœcoq; errore teneri,
  Iſq; alius: quem me credidit eſſe: fuit.
Multaq; compono: quæ nullo auctore probantur
  Vera, nec à veris hæc aliena putes.
Dixero, ſi pandus quod forte volarit aſellus:
  Res acta eſt, pennis creditur iſte ſuis.
Mille meis falſo cælabo ſigna tabellis;
  Teſtamenta, mea mille notabo manu.

Si cui fortè paras mortem : me teste probabis.
Testis ero : si quem soluere fortè paras.
Si cuiuis iugulum subiecto soluere ferro:
Rem, nondum facta nocte, cruentus agam.
Et caput inuoluam cuiuis, saxoq; grauabo:
Ne mersus vastis colla reducat aquis.
Suntq; venena mihi : quæ si sunt pota : tumore
Seu liuore graui corpora nulla notant.
Quaq; iubes : cadet ille die, vel differt in annum,
Ille annus certa morte notatus erit.
Cæsaris excudam falso sub nomine nummos;
Artificis veras dixeris esse manus.
Hos ego non vllo strepitu sub pallia fingo:
Per fora, perq; vias, turba sit ipsa licet.
Si quis amat, nec ametur : amet; potietur amata,
Et si vincla volet soluere : liber erit.
Iam noui quid Pullus equæ sub fronte reseruet:
Vbera cum Mater non sinit ore trahi.
Et scio de pura formam componere cæra:
In cuius decies pectore sedit acus.
Thessala cum magico teneo bene carmina cantu,
Et quid agat tritis rasa sinistra pilis.
Alea ludentes mea scit spoliare, nec vnquam
Conciperes quanta fraude, doloq; cadat.
Nemo manu melius didicit me mittere talos:
Cum volo dant Venerem, cum volo dantq; Canem.
Parua quidem res est, sed fœnoris ibit in vsum:
Sic date diuitias res mihi parua potest.
Fur quoq; qualis ero? Seruet sua limina custos:
Cum bene custodit: surripientur opes.

Claustra

Clauſtra domus minimo verbo reſerabo, vel herba:
Excutiam poſtes, excutiamq; ſeras.
Talem rara Cocum fecit natura, nec vllus
Me domini melius ſentit habetque gulam.
Sic domita in lymphis, ſic prunis roſta iuuabunt,
Vt mihi tu dicas ſola placere mea.
Aſtrologus, Medicus, Rhetor, Grammaticus, Augur,
Aut Scurra, aut Caupo, vel Paraſitus ero.
Quid moror in minimis? multo maiora reliqui,
Pluraque narratis, & grauiora malis.
Pauca tenet quicumq; poteſt numerare, nec eſſet
Vlla ſatis mihi nox, vlla ſatiſque dies.
Artibus his num me credis Biſtinice Romæ.
Viuere? Iam ſcio, te dicere lautus eris.

AD XISTVM.

Xiſte decus rerum, ſupremaq; gloria Diuum: *
Claudere qui Cœlum, qui reſerare potes:
Sis fœlix, hilariſq; diu, ſemperq; ſereno
Cæſareus vultu conſpiciendus eas.
Aſſiduo faciles Parcæ tibi ſtamina uerſent,
Et tua non ullo tempore fila ſecent.
Nulla dies triſti ſignetur terra lapillo,
Nigraq; difficilem non notet urna diem.
Viue (precor) Iani, Priamique, & Neſtoris annos;
Et mihi qui reſtant accipe, & adde tuis.
Pro te debemus Superos in uota uocare,
Pro te debemus thura, merumq; dare.

 Namq:

* *Xiſtus Quartus antea Franciſcus de Runere à Sauona. Creatus Pont. an. Do. 1471. tempore Friderici III. Imp. Sedit annos treſdecim.*

Namq; Deos si sospes eris non esse negabo,
Iunonis dicam sydera & esse Iouis.
Tum credam iussos Cœlum seruare meatus,
Credam dispositas Astra tenere uias.
Esse Deis curæ terras, certaq; Deorum
Humanum dicam lege subesse genus.
[a] Per te nunc Roma est sibi reddita, Pontibus urgens
Tybrim, sunt latæ strata refecta uiæ.
Marmoreas turres, aurata Palatia ponis,
Antiqua instauras Templa, locasq; noua.
Pax sub te parta est, syluis dormire licebit
Et quæcumque uoles aurea ferre manu.
Nunc uita est, opibusque licet gaudere, fruiq;
Palliaque in media linquere sola uia.
Insidiæ, & fraudes, & uis uiolenta, dolique
Furtaque de terris corripuere fugam.
Omne iacet Vitium, Virtusque extincta resurgit
Canaque cum pura simplicitate Fides.
Interijt quodcumque scelus, regiturque sub alta
Tellure, & uiuit cum Pietate Pudor.
Poma sub annosis Quercus fert aurea ramis,
Iunctaque Saturnus cum Ioue regna tenet.
Xiste sub hac liceat fesso requiescere Quercu,
Quæque cadit, longam pascere glande famem.

DE

[a] *Pontem Romæ extruxit an. 1475. ut ex marmorea inscriptione, Pons vero adhuc ex suo nomine vocatur Ponte Sisto.*

DE ROMA.

PErdite, si Romæ Superi magis esse uidetis;
Pœnitet hic ullas atteruisse moras.
Si tamen hic annum finissem; Pallia nostra,
Sint hæc trita licet, sarctaque nulla forent.
Consumpsi quodcumque tuli, pedes ecce redibo
Quamq; habui mulam, nunc meus hospes habet.
Oua ferebatur pro nigra tosta Moneta
Cortice deposito quinque, decemque dari.
Et caput hic Romam si veneris, inquit, habebis
Decoctum, nudum pro minimoque pilis.
Si nutrire potes gallinam: diues haberis,
Fœnoris haud ullus plus tibi reddet ager.
Plurima concæpi, concæptaque uana fuere.
Conueniunt menti factaque nulla meæ.
In populo (memini) recitabam carmen, at ille
Dat crepitum: qualem uenter habere solet.
Sæpe meo capiti: cum serus tecta petebam:
Intentus multo stercore uenter erat.
Nescio quam petij, me uoce uocante, Tabernam.
Mille mihi steterant turpiter ante nates.
Incussere mihi uanum tabulata timorem,
Credideram lapsus in caput ire meum.
E' que uia media uolui subducere numum;
Hæserat, aut filum, quo traheretur erat.
Si tamen hos sciſſes mores succedere priscis:
Arsisset facibus Romule Roma tuis.
Non hodie nascor: didici iam tempore longo
Viuere, quiq; modus, quæq; tenenda via.

Sint

Sint quicumq; velint venti: do lintea. Labor:
  Lubrica cum pluuijs terra madeſcit aquis.
Nitor in aduerſum nunquam contrarius amnem.
  Auxilior: ſi quis ſe dare rupe parat.
Suſtineo veſtes: ſi quis ſe perdit in vndis,
  Do laqueum: ſi quis frangere colla cupit.
Dicitur hic homines fieri, non dicitur illud:
  Si faciet hæc vnum: perdere mille viros.
Omnia ſunt (fateor) Romæ, ſed poſce quid ille,
  Hicue petat, quanti ſtet caſa, vina, cibus.
Confectum quemcumq; fame vel frigore vidi:
  Hic vel Virgilius, hic vel Homerus erat.
Ingenio, dextraq; ſua qui viuit, & arte:
  Deperit hic, non eſt pauperis iſte locus.
Si tibi ſacus erit numorum turgidus: ibit.
  Quamq; pares vnum; tu dabis ante decem.
Nil animus: quod non ſit viſum; voluere poſſet,
  Et ſerum eſt aliqua quęrere ſede locum.
Multa breui dicam, ſol hic, & venditur aer,
  Nec paruo multæ fœcis emuntur aquæ.
Ardens gemma fidem parit hic, pretioſaq; veſtis,
  Et grauis: aſſiduo quæ crepet ære manus.
Fabritius ſpreto pauper ridebitur auro.
  Congeſtas Craſſus laude parabit opes.
Sis Romæ: ſi mille boues tibi iugera ſulcant
  Annuus è campis ſi tibi cenſus erit.

AD FEBREM.

QVid tibi nobiſcum eſt febris? Quid frigus & ignem
Exerces in me? Quid mihi vina negas?
Oſq; cibum refugit: niſi: qui mihi ſumptus obeſſet,
Nec niſi de gelidis fontibus optat aquas.
Sæpe velim: dum me nimius calor vrget, & vrit:
Inter rhypheas ponere membra niues.
Et rurſus dum me frigus quatit: ire ſub Ætnam:
Et iacere ardentes ora peruſta globos.
Me modo ſola tegunt tenuiſſima lintea filo,
Et nunc impoſita eſt culcitra mille modis.
Deficio, lingua eſt vt ſerra, & nigra, cutemque
Contraxit macies cunctaque pallor habet.
Effugere thori, cecidit cum ſanguine robur.
Iamque forem: niſi ſit pellis, & oſſa: nihil.
Hei mihi tantillum mero, fœdumque, nigrumque
Quo viſo Medicus mente, animoque cadit.
Mors auidas compone manus, vnguesque rapaces,
Et ſine componi ſtamina plura colo.
Non ego nunc quæro tua ſcindere iura, mihique
Non vitam, vitæ ſed peto Diua moram.
Se debet Genus omne tibi, quidquidque creatum eſt
Occidet, effugiet vitaque nulla mori.
Tum quoque cum veniet tempus maturius: ibo
Ipſe ſub imperium, iuſſaque certa ſequar.
Si commota vnquam grata pietate fuiſti:
Nunc moueare precor; pare vocare Dea.
O tibi ſic parijs ponantur templa columnis,
Qualia viderunt ſecula nulla prius.

Et

Et tibi votiuas hic figat, & ille tabellas,
  Hic mactet pecudem, mactet & ille bouem.
In te non vnquam solui maledicta, nec vllum
  In te: cum tot sint millia: carmen inest.
In nocuos exerce odium, scelerumque ministros,
  Mens mea nullius conscia facta mali est.
Sæpe veni dixi, stimulatus amore, vel ira:
  Inspice: non sani verba vocantis erant.
Sat dedimus: tecum Pater est, & Mater, & Vxor,
  Cumque meis Natis, Fratreque, cara Soror.
In me vno domus est. Generis sine signa tenere,
  Viuus ut è multis vnus, & orbus eat.
Hei mihi uana precor: cum sit mors cæca, nec aures
  Surda gerat. Pueri pallia ferte. Tremo.

AD AMICOS.

NE retinete manus. Ferrum mihi reddite. Mortes
  Mille nocens merui; ne prohibete mori.
Quid facitis? Damno est, quod creditis esse saluti,
  Quodque iuuare solet, sæpe nocere potest.
Vita mihi grauis est. Mors est mihi dulce leuamen,
  Durior est omni, uiuere pœna, malo.
Constituit Natura modum cum Morte Malorum
  Nil dat lætitiæ, tristitiæq; nihil.
Curarum finis Mors est, requiesque laborum,
  Nil habet illa mali, nil habet illa boni.
Redditur expressæ meritorum gratia mentis.
  Sit satis hæc animi signa dedisse boni.
Certum est velle Mori: non hoc remouere potestis,
  Propositum poterit nemo leuare meum.

Non

Non: si de cœlo descendat Iuppiter alto
  Non: si de stygia Pluto remergat aqua.
Aut finite, aut vacuas implebo vocibus auras.
  Omnibus, hanc referam vos statuisse necem.
Quis Natæ, aut rigido potuit prohibere Catoni:
  Hic se ne laceret, ne bibat illa focum.
Mortis iter stat mille modis, & mille viarum
  Sunt aditus; poterit nemo vetare mori.
Aut caput illidam muro, vel veste meatus
  Occludam, aut mea mors vnda, vel ignis erit.
Amplius hac, quod me teneam, fungarq; superstes
  Vita? Num inuitat viuere fortè dolor?
Ferreus est: si quis valet hunc sufferre dolorem.
  Viuus ero erepta Coniuge? Viuus ero?
Deperit hic omnis virtus mea, non ego fortis
  Dicar in hoc: mortem Mors neget ipsa: cadam.
Non dum laxatis, non dum me linquitis, in vos
  Voce Viros, in vos voce mouebo Deos.
Effugiunt omnes trepidi, soluuntq; reuinctum.
  O stulte expectas, tu tamen: hoc vt agam.

D E C A L V A.

MVtauit sua castra furor, melioreq; fixit
  Signa loco, & multo fortius vrget Amor.
Admoui pontes, balistaq; saxa ministrat.
  Ærataq; Aries mœnia fronte quatit.
Non requies datur ulla operi, semperq; labori
  Insto, cessantes non uidet hora manus.
Qua tu Bella moues: hac arte Amouebis amorem,
  Castraq; quæ Mauors: hæc habet ipsa Venus.

Illic insomni cura uigilantur amaræ
  Noctes, clauduntur lumina nulla die.
Hæc eadem uigiles solertia seruat amantes,
  Non æstus tardant, non hyemesq; uiam.
Limina: si quis amat: debellet dura Puellæ:
  Nam quæ debellet, limina miles habet.
Vtq; suis potitur uotis, uel pace, uel armis:
  Arma tibi, uel pax, sic tua uota dabunt.
Et sic excipias iratæ uerba Puellæ:
  Excipit ut telum miles ab hoste suo.
Et nunc audaci dicas conuicia lingua.
  Nunc timeat dictas, ut fera facta minas.
Ecce ego: quid luscam miser, & malesanus amabam:
  Destitui, pectus cura secunda subit.
Inter sydereas vna est electa Puellas:
  Qualis Stella: parum quæ venit ante diem.
Nec uult ut uideam, nec uult me dura uidere,
  Et me non amat hæc, me nec amare sinit.
Nil sapit, & non me nouit, male sana capillis:
  Si dextram inijcio: non geret illa pilum.
Dictus eram Luscam, Caluam nunc dicar amare:
  Et feret hæc etiam, quam tulit illa notam.

PACI-

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI HECATELEGII LIBER QVINTVS.

AD LECTOREM.

QVintus ſcribitur hic mihi Libellus,
Et ſi qui fuerint procaciores.
Ridet canius omnibus tabellis
Nugis : qui cecidit : caue ſequaris
Matronæ referunt ſacrum Diones.
Nudis Carminibus corona fertur.
Hinc triſtes abeant procul : monemus;
Riſus .... hic legetur.

IN MALEDICVM.

TV quicumque meos audes ridere Libellos:
Forſitan es, ſed non te reor eſſe bonum.
Non didici flexo, nec torto credere collo,
Aut ſi quis mento pectora ſumma terit.
Vidi ego iam multos ſimiles tibi: tempora perdis
Apta tuis non ſum præda tenenda plagis.
Quære alium. Punto totum te noſco, vel vngue:
Quicquid habes extra, quicquid & intus habes.

Non sum terra tuo facilis fodienda ligone:
  Semina disperdis, nil tibi reddet ager.
Retiaque in vanum iactas, non gurgite piscem
  Ex hoc educes, & tua lina teres.
Vna te decies hora volo vendere: nosces
  Non vbi sis, non qua sit tibi parte caput.
Quod genus hoc hominum stimulat? Quo turbine versor?
  Scilicet & moris tu mihi censor eris?
Mille homines opus hoc videre, & mille probarunt,
  Aut taciti linguas continuere suas.
Tu tamen obloqueris stultissime. Dicitur illud,
  Quod stridet peior semper in axe rota.
Sed prius hos curæ tibi sit detergere rictus:
  Cum vis ora meis ponere stulte modis.
Res vili male nata loco, non utilis ulli,
  Furca per infames sæpe reducta uias.
Non pedis es nostri soleas deponere dignus,
  Et mihi te ingenio, te facis arte parem?
Deq; tuo nescis sordes educere naso,
  Et uis tu iudex carminis esse mei?
Sed caput hoc potius duro uolo tundere muro,
  Et digitis corpus dilacerare meis.
Talia quæ possim tàm uana, & stulta loquentem
  Verba uel à surdo non patienda uiro.
Hæc uiuus, sanus, constans audire ualebo:
  Frangere quæ calybem quæq; adamanta ualent?
Vina loqui credas nulla contexta tenore:
  Qualia non sani uoluere lingua solet.
Vis te suspiciam, uis te demirer ut unum
  De Cœlo lapsum, Sideribusq; uirum.

Et

Et benè me tristi peperisset Mater in hora:
  Qua viuam vita: si mihi ductor eris.

INTERRVPTIO.

HIc ego non vnum componam carmen: ab omni
  Sic me vicinus parte tumultus agit.
Non somnum captare licet, Musisq; vacare.
  Nulla quies nocte est, nulla quiesq; die.
Vel grauis alterno gemitum dat malleus ictu?
  Vel supra telæ stamina lenta cadit.
Sic gemini in valida perstant incude Cyclopes,
  Irato faciunt cum noua tela Ioui.
Iactat, & hinc cribro semper resonante farinam
  Pistor, cum fessa est dextra: sinistra subit.
Sæpe etiam furnis hic ligna imponit, & ignes:
  Pertica per furnos itq; reditq; grauis.
Nunc farcit, farctumq; coquit, coctumq; reponit;
  Hic vicinarum garrula turba coit.
Mitius audirem: celebrat quam rana paludem
  Multa, & quod celebrat multa cicada nemus.
Illinc casta parum tremulum non fœmina corpus
  Tollit humo, turbæ causa profana procis.
Ille facit rixas, lapides iacit ille fenestris,
  Insanis laxat calcibus ille fores.
Sic tremit interdum paries communis vtrisq;
  Vt timeam subito ne ruat ille malo.
Qua non hic hora legitur? Lectore nec vnquam
  Hæc vacat, in centum stat Schola plena locis.
Bartolus, & Baldus sonat hinc, illinc Galienus,
  Hinc Stagirita docet, magnus & inde Plato.

Hic

Hic probat in Cœlo Idæas, probat hic & Asellum
  Esse hominem. Astrologus sydera, & astra locat.
Oratorq; loquax non ullam præterit horam.
  Mox fatuus vana voce Poeta tonat.
Cum nox atra subit: tantus venit inde tumultus:
  Quantus ab inferna sede venire solet.
Omnia sed paterer: si non obscæna fenestra
  Ex alta ante oculos mane tulisset Anus.

IN MALEDICVM.

IAmq; meę statui traducere tempora vitæ
  Candida, nec nocuis plectra mouere modis.
Dijs aliter visum, primum non charta tenorem
  Seruat, & incœptum sors mea rupit iter.
Et pudet, & piget hoc me scribere: liuidus ecce
  Cogit in ignotum ducere carmen opus.
Hæc ne tentarem tentaui cuncta: sed ille
  Plura cathenatis ingerit vsq; malis.
Sæpe quidem monui: monitis non exhibet aures,
  Efficitur precibus durior ille meis.
Sed nec nomen adhuc, nec maxima crimina ponam,
  Carmine nec fungar: quo decet arma geri.
Territus hic forsan linguam cohibebit, & ora
  Compescet forsan: si prius ista leget.
Crimina qui certo vult castigare pudore:
  Se prius excutiat: ne gerat ipse notam.
Ante meum videt hic residentem lumen aristam;
  Non videt ante suum lumen habere trabem.
Audet in alterius vitium malesanus; & illud,
  Quo satis implicitum se videt esse: notat.

Tam-

Tamquam non notum, tamquam non esset apertum
  Quod facit, & nulli cognita vita foret.
In Superos surgit. Superis conuicia dicit
  Iunonem lædit, lædit & ore Iouem.
Non videt, à tergo quam sit grauis ira Deorum:
  Quæ si lenta venit, cum grauitate venit.
Nemo vnquam potuit linguam vitare procacem,
  Inq; omnes spargit dicta proterua viros.
Carpitur inuidia. Si cernit tristia: ridet;
  Plorat: si cernit læta, cupitq; mori.
Liquitur, & tenues sic extenuatur in artus:
  Vt soli glacies, vt data cera foco.
Cum loquitur: visus non est mendacior illo,
  Ex illo verum non cadit ore semel.
Veraq; non dicet si vult: vbi vera fatetur:
  Illo non vnquam nascitur herba loco.
Quicquid ait fingit: sed non est gratia ficti:
  Fabula non caudam, non habet illa caput.
Non sic nare canis porrecta sentit: ut iste:
  Quid miscet Caupo, quidue Popina paret.
Cum bibit hic: madido nisi terq; quaterq; metretam
  Siccarit: nunquam ponit ab ore merum.
Et velut insanus discurrit sæpe per Vrbem,
  Ebrius in media sæpe iacetque via.
Excusare potest vitium tamen esse parentum:
  Ebria cui Mater, cui Pater ante fuit.
Vidi ego qui grandem vasto: licet integra pennis,
  Et pedibus fuerit: gutture sorbet auem.
Si cibus vllus erit cura conditus, & arte.
  Si peteret brachas venditor: ille uolet.

Cuncta

Cuncta gulæ mandat : nummos si forte requiris:
  Vnde paret : fur est. Hac ratione parat.
Subtraheret mappam Hermogeni, carulumq; Leonis
  Illi : qui lacero uiscere furta tulit.
Inuersam iactis nucibus non ludit ad Orcam,
  Non hoc magnanimi cogitat esse uiri.
Tota semel iacto mandat patrimonia talo,
  Si non decoxit : se putet esse nihil.
Et tamen in terris errat, nec fulmen ab alto
  Intonat, & nulla parte dehiscit humus.
Vos agite Eumenides, cœca uersate furentem
  Mente uirum, uobis conuenit illud opus.
Iam satis est, sistamus opus, reuocemus aratra;
  Et scindant sulco quo prius arua boues.
Hæc ego libaui : ne me magis ille lacessat:
  Ne magis allatret nomen ut ante meum.
Si non destituit lingua mordere canina:
  Inscriptum claro carmine nomen erit.

AD CRISPINVM.

NIl habet hoc peius Virtus, & amarius in se,
  Quam quod ab Insanis pressa, malisq; iacet.
In latratores opus est ostendere dentes:
  Non sinere ut sese sub pede quisq; premat.
Vidisti quantum, uerbis Crispine paraui
  Vt suus hic in se torserit ora pudor.
Inter se uersa est mea fabula, cura renata est
  De me aliter propriæ uulnera mentis habent.
Perq; dies multos quæ possint rodere : ieci
  Pabula, sed quæ non digeret hora breuis.

Hoc

Hoc opus eſt; arcus hoſtis conuertere in hoſtem,
  Miſſaq; in autorem reddere tela ſuum.
At tua ſi mecum paulo coniunctior eſſet
  Vita, (mihi credas) non nocitura foret.
Pauper amas, nec adhuc noras bene, quid ſit amare
  Inq; iſta rudis es miles, & arte nouus.
Vt fratri primum tibi conſulo, credere noli
  Blanditijs, illas: quo potes: vſq; fuge.
Si cupis ipſe cito bona perdere: non erit vlla
  Aptior hac vna, commodiorq; uia.
Vtq; alios taceam noui nam mille: Parentem
  Inſpice: ſi res hæc perdidit vna tuum.
Quod ſi terdenos caſu traſcenderis annos:
  Tollere te tantum, foſſa ligoq; poteſt.
Luminibus Superi ſpectant tamen omnia iuſtis.
  Hæc res ante omnes diſplicet vna Deis.
Iam valeas, tecum nequeo plus eſſe Poeta
  Hic cœnam: carmen ſi probo: forte dabit.

L Æ T I T I A.

LÆta dies, quæ noſtra ſua colloquia luce
  Viderat & gratum, quæ dedit herba thorum.
Fœlix ille locus, fœlix & vimen, & arbor:
  Quæ me maiorem fecerat eſſe Ioue.
Quando fuit toto quiſq; me lætior orbe,
  Aut quis lætitiæ par valet eſſe meæ.
Diffundor riſu, vix me teneoq; feroq;
  Terraq; vix celeres ſuſtinet vlla pedes.
Si mihi diuitias det Creſus, & aurea diues
  Alcinous: nulli tam bona lecta darem:

Non si donaret quicquid Tagus inuehit vndis,
  Quicquid Pactolus, quicquid, & Hermus habet,
Quicquid Eritrea quærit niger Indus in alga,
  Quodq; solet Danae, quodq; tenere Mydas
Cædant diuitiæ lætis; quis tristis habetur
  Diues, tantum animus lætus habebit opes.
Omnia possideo: mea mens nihil amplius optat:
  Ni quod nunc teneo: semper & usq; fruar.
Finiat hoc nunquam, nulloq; in tempore desit
  Sit Fortuna meis inuida nulla bonis.
Nulla dies à me facilem diducat Amorem,
  Meq; etiam facili nulla ab Amore dies.
Fœlicem uideat breuioribus altior umbris,
  Fœlicem exoriens, occiduusq; dies.
Et lapis assiduam designet candidus horam,
  Deq; urna nullus ni lapis albus eat.
Omnibus inuidiæ; non sim miserabilis ulli,
  Meq; bonis semper quisq; tumere putet.
Annuat hoc Æther, uel si me maior in illo
  Esset, & hoc facili sorbeat aure Deus.
Alloquar en quemquam? Non dignor. Fronte superbus
  Obducta incedo: sic iubet ire tumor.
Cedat uulgus iners mediam iuuat ire per Vrbem.
  Quis nasum auderet tangere, quisue pilum?
Si rogat hoc aliquis: non dicam, non sciet ullus:
  Si retinere ualent, gramen, & herba fidem.
Notum erit hoc nulli: dum per decliuia current
  Flumina: dum liquidas piscis amabit aquas.
Et prius emoriar, quod nostro decidat ore:
  Cum fuit, utue fuit, quisue beauit Amor.

Hic

Hic erit, hic ſapiens: qui nulli pandet Amorem.
Qui ſua vulgabit gaudia, ſtultus erit.

REGI FERDINANDO.

EXimium Imperij decus, & noua gloria Regum
Salue: quo veros ſoſpite credo Deos.
Da faciles aures miſero: licet ardua ſemper
Vexent, & multo te grauiora premant.
Omnibus indigne rebus ſpoliatus, & Vrbe:
Ad ſacros veni procubuiq; pedes.
Reſpice me miſerum miti placidiſſime vultu,
Reſpice Fortunam, Triſtitiamq; meam.
Si lacrimant oculi, gemitus ſi pectora reddunt:
Me gemere aſſiduo, me lacrimare decet.
Conſortem thalami cum Natis Fata duobus,
Cumque vna Nata corripuere mihi.
Orbus eram, ſed diues eram; ſolatia damni
Præbebat multis arca grauata bonis.
Et mea barbarico radiabant tecta ſub auro,
Sulcabantq; mei iugera mille boues.
Liuidus intorſit digitos, vngueſq; rapaces,
Iniecitq; manus iuribus ille meis.
Non aliena peto; noſtrum eſt, quod detinet ille;
Iuſq; Patris poſco: ius habet ille meum.
Et quod Natorum fuerat, peto: conterit alter,
Quæ mihi debentur, nec bene tractat opes.
Sub quocumq; negat prædo mihi Iudice victus
Reddere vi potitur, muneribusq; tuis.
Munera: quæ dederas: turpes conuertit in artes;
Inſcius es tanti cauſa pudenda mali.

Per te iam læsus per te nunc posco mederi;
Vulneris ut fueras : sic opis auctor eris.

PROFECTIO.

CAstra per Italiam discordi pectore surgunt
Horrida : Mars sæuos cogit in arma viros.
Hæc sequar, & mens est nullo decernere ferro,
Nullus inest fusi cæde cruoris amor.
Cernere non possum fugientem vulnere vitam;
Victuro lætor, non moriente viro.
Dispereo : quotiens acies stetit horrida ferro,
Et bello effieni constituuntur equi.
Et quæcunq; venit neruo districta sagitta:
Hanc puto, per nostrum transilijsse latus.
Non teneo lacrimas cum capta per Opida Miles:
Currit, & aggestas depopulatur opes.
Cum trahit à misera lugentem Matre Puellam,
Gaudiaq; amisso prima pudore rapit.
Est animus reparare malis, mortemq; fugare:
Vt viuat : qui se viderat ante mori.
Nullus tam sæuo castris violabitur ense:
Vt nostra sanus non releuetur ope.
Dilaceros artus, & uiscera rupta medebor
Sanus erit : scissus cui modo neruus erat.
Non ferro, aut graphijs : stimulis non utor acutis,
Sed uulnus minima spargere oportet aqua.
Herbas : quas nunquam Circe, Medeaq; nouit:
Colligo & ex illis conficiuntur aquæ.
Non illas Chyron, non illas nouit Apollo:
Nec rursus cuius Virbius arte fuit.
Quisquis eris telo lætali fossus, & ense:
Me pete : ne telo fossus, & ense cadas.

PACI-

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI HECATELEGII

LIBER SEXTVS.

AD LECTOREM.

QVid narrem potes æſtimare Lector,
Verſus ebrius hos Poeta fecit,
Nigris occiduus ibat e popinis,
Et greſſu titubatior Lyei:
Cum Naxon peteret rapina nautis,
Cum dulcis fuit, & iocoſa rixa.
Ructus quolibet vt minus ducenti.
Spumant carmine ſuggerente vena.

AD FLORENTIAM.

SAlue conſpicuo Florentia picta decore;
Nunc primum pedibus terra petita meis.
Salue, perpetuos ſerues in ſtipite Flores:
Purpurei quales tempora veris habent.
Et tua ſic lybici diſtendant regna Leones:
Vt videas quicquid reſtat in orbe tuum
Accipe me dextro non indignata Poetam
Omine, fœlici Teq; petamus aue.

Arne;

Arne: tuo mediam fluuio qui diuidis Vrbem:
Vt sunt: hæ nitidæ sint tibi semper aquæ.
Frater erat Tibris, sed Fratris pontus, & orbis.
Iure tui Imperij pontus, & orbis erit.
Non graue sit, sacro tibi nulla iniuria fiat:
Si pede per pontes sæpe redibo tuos.
Sæpe per hos (fateor) quando illa, vel illa placebit:
Ibimus, & cum me non aget vnus Amor.
Vt reor; implicitum non vna Puella tenebit,
Et nulla est, quæ non apta sit esse mea.
Non tot Sylua gerit frondes, nec Pontus arenas,
Nec tot habet pisces vnda, nec astra polus.
Quot gerit, & plures habet hæc Florentia bellas:
Quas cupias vno velle tenere sinu.
Quælibet insano me cogit amare furore.
Quælibet insano me facit igne mori.
Decantata mihi toto celebraberis orbe,
Et decus, & facies non cadet ista diu.
Iamq; opus aggredior, tantum mihi ferte papyri,
Quantum niliacis fertur inesse locis.

AD PHOEBVM.

PHœbe veni, propera, non est mora tuta, citatus;
Fer medicæ; fessos quæ leuat artis opem.
Curre; meam tristi vexat langore Puellam,
Et pallore graui febris acerba notat.
Formosæ auxilium non te præstare pigebit.
Et palpare leui candida membra manu.
Inuidiam hæc alijs mouet ars, cupiuntq; citari:
Iuppiter hanc artem non didicisse dolet.

Inuideat

Inuideat quicunq; velit: dum certa medendi
  Ars tua sit, succis, herbaq; nota suis.
Ne pereat succurre precor, succurre duobus;
  Illo sanato corpore; sanus ero.
Si cadit illa: cadam, sed si valet illa: valebo.
  Vna simul vitæ causaq; mortis erit.
Ignes tentauit non hæc extinguere Vestæ,
  Nec capitolini templa cremare Iouis.
Cui stricto iugulum soluit temeraria ferro,
  Fallaci ve dedit nigra venena manu?
Si me crudelis totiens finire coegit
  Hanc animam: nondum vita relicta mea est.
Si se venturam (graue cum sit fallere) dixit:
  Deceptum mitti fulmina nulla peto.
Si quid triste Deos, si quid crudele poposci:
  Per terras rapidus, per freta ventus agat.
Illa tuis mecum pro Templis stabit, & aris,
  Et meritas laudes supplice voce canet.
Delos vt excepit Matrem, partuq; gemello
  Que vaga terra fuit: nunc stet vt illa mari.
Vtq; triumpharas strato Pytone sagittis,
  Et pompas poluit Iuno videre tuas.
Vtq; hæsit, duras valuit nec stringere fauces,
  Inuasit Vatis cum caput ore Draco.
Et quos pro lacero vastauit bellua Nato
  Immanis campos, & sata læta Boum.
Et qualem Niobe sensit fastosa rigorem
  Orba suis Natis, tot modo visa potens.
Et quæ: Latonæ Fontem turbauit: in illis
  Vt nunc rauca suis turba cohaxet aquis.

Hostia

Hostia præterea summo seruata Tonanti
 Ista cadet multis ambitiosus honor.
Quid mora lenta tenet? niueus iam Taurus ad aras
 Ducitur, & Vino cornua fusa madent.
Cur crepitare fores, cortinaq; reddere murmur,
 Visaq; cum longa est flamma uolare face?
En Deus: ecce Deus (sanabere Martia) multam
 Affert succincta ueste serenus opem.

AD MICHAELEM.

SVm ne bonus Vates? Dixi mala nostra uenire,
 Et quæ ridebas: esse futura tibi?
Dic ubi nunc illa est rigidi constantia vultus,
 Illaq; magnanimi verba superba viri?
Es memor, vt nullis aures præbere solebas,
 Atq; Salutantes nolle videre viros?
Iamq; tibi Fastus cecidit, blandeq; fateris
 Seruitium, molli sunt et in ore preces.
Iamq; tuam faciem pallor, maciesq; notauit,
 Iam uigilas noctes, iam uigilasq; dies.
Et penitus longo gemitu tua pectora rumpis.
 Inq; sinus lachrymæ mæsta per ora cadunt
Occideras: si quis præter tua limina tendit,
 Aut si qui clausas excreat ante fores.
Sæpe sedes sine mente miser, similisq; cadenti:
 Fabula si qua tibi non bona dicta fuit.
Sæpeq; discurris: ueluti stimularet Erinnys
 Isq; per ardentes, per madidasq; uias.
Obuia sæpe tuo discussa est pectore turba;
 Vlterius, quo uis sæpe uenire uenis.

Nescio

Nescio qui viuis : si non nutriris amore,
  Nil laticis subit hæc, nil subit ora cibi.
Succus abest, ceciditq; caro, venæq; rigescunt.
  Nil esses : si non pellis, & ossa fores.
Me miseret, possumq; tuos non ferre dolores,
  Et quam tu pateris pœna molesta mihi est.
Quid sit amor sentis, & quæ facit arma Cupido,
  Nec ridere potes nunc velut ante malum.
Excute : si poteris : medio de pectore flammam:
  Dum nouus est, nec dum fortius vrget amor.
Excute de collo : quibus es nunc pressus : aratra:
  Ne plus, quam credas illa ferenda, feras:
Principio quæcunq; datur medicina iuuabit,
  A lenta nullam morbus habebit opem.
Verba dari video ventis, & inaniter vndis,
  Consilium perdo, tempora perdo mea.
Hæc ego, tu lentus miseros meditaris Amores,
  Peius: quam rebar: pectore vulnus habes.
Et quantum valeo miseras deprændere curas:
  Occidis, & nullo tempore sanus eris.
Iamq; vale, effusis quantum potes utere uelis,
  Quoq; vocat ventus: per mare nauis eat.
Sed cum uela cadunt, & cum symplegadas intras :
  Sis memor, a clauo non remouere manus.

AD ALAMANVM.

DEsperas Alamane malo, non posse mederi
  Vulnera, non ulla uiuere credis ope.
Et nouus, & tyro descendis ad arma, nec ante
  Vlla tibi sæuus spicula torsit Amor.

Sic prima indomiti patiuntur aratra Iuuenci,
Primaq; frena noui ſic patiuntur equi.
Quicumq; in ſtimulos pugnat, male pugnat, acutos
Quodq; feres apte: non graue fiet onus.
Qui patitur patienda diu, nec ferre recuſat
Non in dimidia parte doloris erit.
Diſce pati, & rigido collum hoc aſſueſcat aratro,
Et tibi libertas dempta ſit illa diu.
Sed quantum video non fers leue pectore vulnus,
Et quod ſanandum non reor eſſe breui.
Non tam grande malum eſt: quod non ſperando leuari
Poſſit in ægroto: ſpes magis arte valet.
Vidi ego iam multos morbo grauiore teneri,
Sed poſt deuicto conualuiſſe malo.
Tu quoq; ne dubita, melioraq; concipe: fiet
Hic qui nunc vrget, mitis, & æquus Amor.
Ille repugnanti multo violentius inſtat,
Cumq; ſua inuitum regna ſubire videt.
Ille ſuis telis caue, te ſciat eſſe rebellem:
Si ſciet; optabis ſæpe perire die.
Cede Deo, quantumq; potes te trade furori,
Illo (crede mihi) Præſide victor eris.
Ille etiam Faſtus duræ contundet amicæ,
Et faciet lentæ pœnituiſſe moræ.
Inſpice, Pomonæ ſi claudere profuit hortos:
Inſpice Cydippes, Iaſidoſq; dolos.
Tu modo per longum traducas tempus Amorem
Sitq; per immenſas pallor in ore moras.
Quæ det ſera dies, quæ det patientia multis,
Quæq; etiam ſerus vota det, annus habet.

Hæc

Hæc quæ nunc dura est : matura videbitur vua,
  Et quæ nunc seges est : semen, & herba fuit.
Hæc ventura tibi tum me dixisse subibit,
  Tum dices : Vates qui tibi verus eram.
Vera sit : ut loquitur : vox & prænuntia veri
  Ominis, & nulla decipiatur aue.

AD IACOBVM.

FAs Iacobe tuas mihi sit prębere parumper
  Aures, & parti quæ loquor adde bonę.
Viuere non tecum, sine te nec viuere possum.
  Te sine, vel tecum vitaq; nulla mihi est.
Quid faciam? Durum est sub te traducere vitam.
  Durius est : si te destituisse velim.
Si quis erit : cui forte domus non ista placebit:
  Dicetur vere, mente carere bona.
Gratior hac toto nulla est : & amęnior orbe,
  Et magis effusas nulla ministrat opes.
Sępe alię ponunt mensas, iterumq; reponunt,
  Hic omni structa est tempore mensa cibis.
Fronte bona, & vultu lances speciosa sereno
  Condit, & innumeras officiosa dapes.
Victus es Antoni, uicta es Cleopatra decore
  Cœnę : cum illusit te tua Bacche Venus.
Lautior accubuit nullus conuiua sub illo:
  A quo Pompeio turdus habendus erat.
Per Mare, per Terras repetens cerebella uolucris;
  Non tamen ad tales dicitur isse thoros.
Et nunc Euandrum, nunc effert fama Molorchum,
  Non erat hęc illo tempore nota domus.

Quis tecum nollet tantis ſub moribus eſſe:
  Et te ſub tanta nobilitate frui?
Tu Curium, Taciumq; potes grauitate monere,
  Et tu conſilium: quod Numa poſcat: habes.
Dictares rigido cenſuræ iura Catoni;
  Subq; tua melior lege Lycurgus erit.
Omnibus inſeruis caris iucundus amicis.
  Gratia per cunctos it tua larga uiros.
Plenaq; diuitijs nulli tua clauditur arca,
  Et tua non magis eſt: quam mea: tota domus.
Et quem non facit hoc: (rogo) quod facit eſſe beatum?
  Et cui non placet hęc: quę (rogo) vita placet?
Hei mihi quem minimum fellis mel reddit amarum,
  Turbatur minimo candida lympha luto.
Vidi inter duras adoleſcere Lilia ſæpes,
  Inter, & urticas ſæpe uirere Roſas.
Et dicam, & quoniam lingua eſt mihi prompta loqendi:
  Narrabo quicquid mens uolet ipſa loqui.
Impetus eſt medijs mihi ſępe aſſurgere menſis,
  Et iacere has menſas, appoſitaſq; dapes.
Quis furor eſt illis Vetulas aſtare prophanas?
  Vlla: niſi effęta eſt: non tibi ſeruit Anus.
Hei mihi quod ſtomachi faciunt tua pocula: quando
  Agnes rugoſa porrigit illa manu.
Me reuocare cibos medio de pectore cogit:
  Tartara luminibus, cum ſtetit ante ſuis.
Omnia diſturbat tactu Caparoſa maligno.
  Et poſita afflatu putrida uina facit.
Amoueat, teneatq; ſuum Guiſſana flabellum,
  Malo miſer muſcas ebibere ipſe meas.

Non

Non ego Tisiphone visa qui fugerit Ino:
   Miror in ionium decideritq; Mare.
Miror Dommina quid visa stemus in vrbe,
   Et quid non vastis accipit Arnus aquis.
Prototomus Baptista suo sine pollice nunquam
   Diuidit, & viuo frusta cruore madent.
Rappa venit rarus; veniat rarissimus opto,
   Cœna boni quicquid præparat; ille rapit.
E stabulis Pincerna tibi Corradus habetur:
   Immundus vermes quo modo tersit equis.
Quiq; gerit nomen vacuæ de sorde cloacæ:
   Vina dat in Cyathis, in Phialis dat aquas.
De me cura tibi grauis est, nimiumq; seuera.
   Qui mihi sint mores, quæ mihi vita petis.
Obserues ne me, nec quæ sit vita requiras,
   Inq; hoc sis lenta simplicitate velim.
Et nunc quo tendam, veniam nunc vnde, fuitq;
   Quis mecum, & cum quo nunc petis ipse fui.
Nemo caret vitio, dedit hoc natura, nec vllum
   Fecit, ut ex omni parte sit ille bonus.
Magnanimos dextra, quæ nescit mittere Talos:
   Sæpe solet Talis peius habere malum.
De furto, stuproq; domus tua tuta locetur,
   Deq; alijs non sit cura, laborq; tibi.
Quod si perspicue nimium, nimiumq; requires:
   Inuenies Ouo quolibet esse pilum.

D E

DE MVNERE.

ECce nouæ redeunt Martis mea cura calendæ.
Hei mihi non licet, hoc me dare uerba die.
Nil ego si dedero : potero non gratus haberi,
Et dici officij non memor esse sui.
Res mea tam parua est, tanquam est mea parua supellex
Vnius ut ex omni parte trahendus eat.
Velle tamen certum est aliquid donare : necesse
Siue foret Superos, siue negare Iouem.
Si uolet hanc animam : dabimus (mora nulla tenebit)
Pectore si medio cor uellet illa : dabo.
Si me sub flammas, si me volet ire sub vndas:
Ibimus, & mortis omne subibo genus.
Si quem forte mihi Ganymedem fata dedissent:
Miscerem famula pocula grata manu.
Non miror : gelido Cœlo quo fulgeat Arctos.
Miror quod sceptrum non tenet illa Iouis.
Quod Theseus Helenam rapuit, qui reddidit illam,
Quod Paris excidium maluit esse suis.
Nil sapit, & nimium fugit hunc me Iudice verum:
Thesea qui Paridi præposuisse uelit,
Nec mihi magnanimum, nec fortem narret Achillem,
Raptoris potuit Coniugis arma sequi.
Gratetur sibi quisq; licet : me propter Amicam
Mille pati mortes suspicor esse nihil.
Retia per montes iubeat me ferre niuosos,
Et dare in aduersas pectora nuda feras
Et nunc me uiuos catulos efferre Leenæ,
Nunc uelit aut Vrsas, aut uelit illa Lupas.

Nunc

Nunc latus oppositis faciat præbere sagittis.
  Certior Hylei sit manus illa manu.
Nil sentit: qui non sic iudicat: aut amo quantum
  Nemo amat, aut nullo cor salit igne meum.
Vel non tentanda est, vel si tentare libebit:
  Fac: res, quo debet: fiat ut illa modo.
Arbitrio Dominæ sedeo, curroque, voloq;
  Et mea: ni iubeat: non subit ora cibus.
Nunc quodcunq; domi es, nunc & domus ite sub hastam:
  Auctio de cunctis fiat ut vna bonis.
Cunctaq; si vendam: forsam constabitur assis;
  Hunc mihi si dederis: sint tua cuncta mea.
Hoc ego vel Maluas, vel Betas asse parabo,
  Mittentur Domine talia dona meæ.

IN IOVEM.

IVppiter assiduo si sic facis improbe Amici
  Cum tibi sint pauci: post modo nullus erit.
Est bene quod Cœli petisti summa: furentes
  In tua ne possim pectora ferre manus.
Te ne bonum credam: poteras qui sæpe nocere
  Vxori, & Nato, quiq; nocere Patri?
Non satis est toties prælati iniuria lecti,
  Sed triste è cœlo Iuno pependit onus.
Et tuus est per te summo deiectus Olympo
  Lennius, effracto crureq; tardat iter.
Per te Saturnus Pater exulat, & latet illa
  Terra: quæ Latium nunc quoq; nomen habet.
Per loca nota parum, quamuis pueriliter isset,
  Fulmine crudele est quod Phaetonta petas.

Quid

Quid meruit Semele : quæ fulminis occidit ira?
  Quæq; ſub arctoo eſt Parrhaſis Vrſa polo?
Quæ tot preſſa fuit tantiſq; laboribus Io:
  Iunoni debet, non tibi facta Dea.
Nil te deterius Tellus, nil vidit & Æther,
  Styx nigra te vidit, deteriuſq; nihil.
Sub te iam ferrum, ſub te iam perdit & aurum:
  His genus humanum bella duobus agit.
Perdideras vndis orbem, vis perdere & igne:
  O, ſi tùm flammas ſumat vterq; polus.
Tempore magnorum fuerim, ſi forte Gygantum:
  In montes fruſtra fulmina miſſa forent:
Te mihi non Aries celaſſet imagine falſa:
  Texit in Ægypto cum noua forma Deos.
Quod te ſylua tulit, quod ſis lapis ortus, & ori
  Quod lac Capra dedit : mos probat iſte tuus.
Errat & hic : ſi quis tibi Numina cogitat eſſe,
  Vel ſi Templa locat, vel pia vota facit.
Depictum expingam, truncabo & cornua fronti,
  Excutiamq; tua tela triſulca manu.
Templaq; ſuccendam, vel quod longa Alba tuetur,
  Aut in Tarpeia, Roma quod arce tenet.
Succidam Quercum : quæcunq; fit obuia : ferro,
  Hic licet humana voce columba canat.
Diſijciam fontem : media quo feruet in vmbra,
  In medio rurſus, quo gelat vnda die.
Es ne auſus ſcelerate ſcelus committere tantum?
  Et ſcelere in tanto tantum animi ne fuit?
(Crede mihi) tanti ſoluetur pœna furoris,
  Et tanti dabitur debita pœna mali.

AD MARVLLVM.

IN Superum, Cœliq; Patrem quæ me impulit ira,
Causaq; quæ mouit docte Marulle rogas.
Tedia ne subeant: Lachrymas dum sicco cadentes.
Et dum me totum colligo mente mea.
Sit quamuis meminisse dolor, memorareq; vulnus
Innouet: hoc pro te ferre, patiq; volo.
Ardua causa fuit, par non fuit ira furori,
Hoc mihi quod fecit: non probat esse Iouem.
Viuebat fuluo longe pretiosior auro;
Inter delitias vnica Pica meas.
Curarum fuit hæc obliuio longa mearum,
Hæc fuit ex omni longa labore quies.
Huic hominis præter formam nil defuit vnquam:
Hac didicit nemo certius ore loqui.
Sæpe salutabat, reddebat sæpe salutem:
Iungeret vt cunctis nomina vera viris.
Accipere, & certas aliquis dum reddere voces
Miratur: stupidus constitit ante domum.
Pro me dilectas properabat adire Puellas,
Talia narrabat, qualia verba dabam.
Si qua mea ex arcu fugiebat missa sagitta:
Præsto erat e cunctis illa referre locis.
Res mea si qua mihi cecidisset: nulla tenebat:
Res mea dum non est illa reperta: quies.
Sæpe merum sitiens, & lympham sæpe bibebat,
Læta bibit lympham, lætior illa merum.
Vnum erat hoc illi vitium, res una notauit:
Ebria quæ vino sæpe sepulta fuit.

Terruit ô quoties fures mea tecta petentes
  Dum, mea non Picæ, uerba fuisse putant.
Voluebat libros: & verba notata legebat:
  Illa latina licet, græca uel illa forent.
Sæpe etiam rostro scripsit, nec laude carebat,
  Humanas doluit non habuisse manus.
Non (inquit) Pallas, non me vicisset Aracne,
  Meq; semiramium non superasset opus.
Cantabat. Non hac melius cantabat Arion,
  Non fuit hac Phæbus doctior arte lyræ.
Orphea si syluas traxisse, Amphiona muros
  Fertur: ab hac Cithara uictus uterq; foret.
Hac si Picarum pugnasset turba magistra
  Calliope sacras destituisset aquas.
Vicit passerulum quem fleuit amica Catulli.
  Hac uisa stellæ nollet Ianthis auem.
Excessit Publi lususq; iocosq; catellæ,
  Quiq; sua Perthæ nomen in Vrbe tenet.
Gratior & Coruo cui se miscere Quirites
  Assueti, & multa credere uerba fide.
Me miserum tamen hæc perijt mea Pica. Deos ne
  Esse putem: tantum qui rapuere boni?
Nunc Aquilæ tenet illa locum, seruitq; Tonanti,
  Mille Ioui rapiet pro Ganymede Mares.

AD MARTIAM.

QVam legis, & retines digitis est littera fœlix,
  Sed longe fœlix: si sedet illa sinu.
Osculaq; admotis libauit forte labellis:
  Dum niueo nodum soluere dente paras.

Forsitan

Forſitan aſſenſus tacitis prænouit ocellis,
   Optatiq; fidem pignora certa mei.
Si reor, hi faciles permittunt omnia vultus,
   Arguitur facie nulla repulſa tua.
Non bene ruſticitas generoſo in corpore viuit,
   Durities formæ non ſedet apta tuæ.
(Crede mihi) noto vidi ſine nomine multas:
   Quæ titulo formæ ruſticitate carent.
Tu pretium manibus totis non vile teneto,
   Et caue ne tua dos impietate cadat.
Cum primum ipſe tuos conſpexi lumine vultus:
   Tum ſine vel ſenſu, vel ſine mente fui.
Obſtupui, & dum me nimium, nimiumq; moraris:
   Miranti nullus ſedit in ore color.
Priſtina mens poſtquam redijt, meq; ipſe recepi:
   Suſpicor, hæc dixi, quod Dea Numen habet.
Si pictas pharetras, pictos ſi ferret, & arcus:
   Hæc eſſet Phœbi caſta Diana Soror.
Pectore ſi clypeum, manibus ſi ſumeret haſtam:
   Hæc mihi iuranti, non niſi Pallas erit.
Creduntur Dryades Idæ ſic iſſe ſub vmbras:
   Dum puer ignotum per nemus iret Hylas.
Cum Vitta lapſos nitida legere capillos,
   Et ſtupidæ dociles deſtituere choros.
Menalijs venata iugis ſic Parrhaſis ibat
   Exploratori preſſa puella Ioui.
Non aliter doctis Herſe veniebat Athenis:
   Aligero placuit cum ſoror vna Deo.
Tum validas medio cæpi ſub pectore flammas,
   Et rapuit validos tota medulla focos.

Extenuor, cæcoq; miser dilabor amore,
  In cineres abeunt ossa cremata leues.
Nescio quem memorant sicula tellure Typhœum
  Ignıuomum: flammis vincitur ille meis.
Colchidos afflantes potuerunt vincere tauros
  Carmina, carminibus non mea flamma cadet.
Occidit & monstrum iaculans e naribus ignem,
  Bellerophontea victa Cymera manu.
Sed grauis e nostro secedet corpore nunquam
  Cumq; mea vita finiet iste furor.
Vnde mei vigilant oculi, nox unde uidetur
  Longa mihi? Visa est cur mihi longa dies?
Non me destituunt curæ semperq; fatigor,
  Et secum nunquam mens operosa silet.
Cogito mille artes: per quas sanarer Amore,
  Inuenio fraudes, inuenioq; dolos.
Sæpe datis uolui Nutricem rumpere donis
  Hæc tamen auxilium perfida ferre negat.
Sæpe tuos (fateor) lustraui nocte Penates:
  Si qui aditus, vel si lenta fenestra foret.
Inserui quoties per rimas bracchia valuis:
  Vt possem à duro tollere poste seram.
Sæpe mihi dixi, quid cessas fortibus actis?
  Quid tibi cum precibus? Vi facienda tua est.
Quid dubito raptam duro defendere ferro?
  Quid timeam in nostro te recubante sinu?
In me omnes enses, in me omnia tela vibrentur,
  Frustra enses, frustra tela vibrata forent.
Tentabo primum: sed si tentata repugnes:
  Persequar insanus, quod mihi dictat Amor.

A D

AD ALBINVM.

Albine ingenio nulli cessure, vel arte
  Salue, & sint vitæ tempora læta tuæ.
Obstupui : doctis dum tentas carmina neruis,
  Dumq; moues docili plectra canora manu.
Dulcia sublimi dum promis verba Cathedra:
  Mellifluus sacro stillat ab ore liquor.
Sic solet eoæ redolescere spiritus auræ,
  Plurima cum cultor cinnama legit Arabs.
Sic & gratus ager tenui districtus ab Euro:
  Cum vernæ flores depopulantur Apes.
Hunc madidus Cilicum crinis diffundit odorem,
  Hoc & corycius spirat odore Crocus,
Tereos haud aliter crudelia facta queruntur,
  Cum Nato Mater, cumq; Sorore Soror.
Creditur hos cantus audire Cayster in vndis:
  Dum videt extremæ tempora mortis Olor.
Si foret hac vsus cithara Rhodopeius Heros.
  Liquissent Ciconum saxa cruenta nurus.
Et licet Euridicen spectasset terga prementem:
  Euridice Infernas non reperisset aquas.
Si quamuis tua Musa mihi gratissima fiet
  Gratior, & Summam muneris illa feret.
Si commendabit tibi me fidissima, & vnum
  Ante omnes, si te dicet amare Deos.

PACIFICI

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI HECATELEGII

LIBER SEPTIMVS.

AD LECTOREM.

SEptem de ſapientia Libellos,
De Virtuteq; Continentiaq;
Et de Religione Caſtitatis
Octo, de Moderantia, Bonoq;
Et Fato, ac Anima nouem, decemq;
Scripſi de Superum, Iouiſq; cura.
Non illos legis, & ſinis perire?
Hos mauis? malus es, bonum putabam.

AD LECTOREM.

NOn aſſis facies vnquam mea carmina Lector:
Si non materia eſt moribus apta meis.
Cum bene laſciuit luxu reſoluta proteruo
Muſa: meæ poteris mentis habere modum.
Heu caue; ne miſerum mala te conceperit hora,
Si mala concepit: non bonus eſſe potes.
Ecce ego nequitiam nequeo finire procacem,
Morte cadet, Senio non cadet illa meo.

Ad mala ſum nimium iuuenis, robuſtus, & audax.
  Ad bona ſum nimium, ſegnis, inerſq; ſenex.
Si quod opus iubeas clara virtute ſubire,
  Deficiunt animi, deficiuntq; manus.
Si quod erit crimen ; nullo cogente ſubibo.
  Hac animi mihi ſunt, hac & in arte manus.
Deperit ingenium : ſi quid laudabile tento;
  At ſi quid miſerum dicere tento, valet.
Sæpe aliquis dixit quid perdis Maxime carmen?
  Et quid non dignum carmine teq; canis?
Carmine meq; ſimul dignum cantare parabam,
  Non aptum è calamo proueniebat opus.
Sępe graui volui componere carmina plectro,
  Sed mea propoſitum mens vaga rupit opus.
Herculeas laudes meditabar &, arma Tonantis,
  Mente ſed in noſtra protinus illud erat:
Quod Iouis incuruum Ganymedem ſceptra premebant,
  Et quod Tirynti claua premebat Hylam.
Romanas acies troianaq; bella Poetę
  Decantent alij, claraq; geſta Ducum.
Me iuuat in tenui deducere carmen auena,
  Non : ſic nequitias qui canet : alter erit.
Quæ facit inuitus : raro bene facta probabis,
  Sed bene : quæ veniunt ſponte : probare potes.
Libera per ſyluas, quæ quondam dulce canebat;
  Nunc clauſa in cauea triſte queretur auis.
Fac tamen, ingenium claris ſe accingere rebus
  Poſſe meum, & docta velle tonare tuba:
Dic vbi materia eſt alto cantanda Poetæ
  Dic, ſi quid toto laudis in orbe vides.

Hercule nunc opus eſt: quocunq; eſt Cacus in antro;
Quocunq; in ſtabulo ſunt Diomedis equi.
Expoſcunt ſatyras mea tempora. Proſpice ſenſu
Noſtra bono, & Satyrus non tibi mollis ero.
Felle madet carmen, riſu mordemus amaro,
Pluraq; quæ credis: lingua venena mouet.

IN LECTOREM.

INſanis Lector? Mihi quid maledicis? Et in me
Quid iacis à nullo verba ferenda Viro?
Iuro Deos: Si non exemptus rebus abeſſem;
Hanc nemo faciem noſceret eſſe tuam.
Non pudet extinctum lingua vexare canina?
Inq; meos cineres dicta prophana loqui?
Auderes nunquam mihi talia dicere viuo,
Non hæc auderes: ſi mihi vita foret.
Nil habet hic animi: qui ſe ſe exercet in illum:
Qui nil iam ſentit, nilq; referre poteſt.
Confer te viuis, inq; eos inſurge; malignos
Inuenies dentes, qui tibi fauce ruent.
Accuſas, damnaſq; meum ſine fine Libellum,
Et latras noſtris moribus eſſe parem.
Lucano galeam quis vidit, & eſſe Maroni:
Cum Bella altiſono cantet vterq; pede?
Armaq; non mouit, nec prælia doctus Homerus:
Ille licet Troiæ prælia, & arma canat.
Nam miſcere ſolent cum veris falſa Poetæ,
Ficta canunt, dictis nec datur vlla fides.
Ingenij nihil eſt, nihil eſt hoc pectore ſenſus:
Qui me cum vita iungere ſcripta putas.

Diſce

Disce sacros Vates; cognataq; semina Cœli,
His etiam in terris sanctius esse nihil.
Cętera si delet: delet mors nulla Poetas:
Vrna quidem famam non tegit; ossa tegit.
His Superi cessere bonos sine crimine mores,
Fecere & molles carmine, mente probos.
Distat ab hoc nostro mea tam natura Libello:
Quam tua cum verbis, facta propinqua manent.
Sum procul à vitijs, quantum es tu proximus illis.
Tam bona vita mea est: quam mala vita tua est.
Quid rides, nasumq; acuis, quidue improbe dicis?
Me rumpis, recta nec sinis ire via.
Nondum omnis perij, superest pars maxima; Manes:
Qui te non vno nocte furore prement.
I, iuris te pœna vocat mortalibus horror
Dictabunt, somnos excutientq; graues.
I, mihi, teq; meis catulis facturus amicum
Latrabunt multa nocte silente cane,
Ante tua horrendas vibrabunt ora cathenas,
Inq; tuum mittent guttur inane faces.
Ex oculis ignes fundent, e pectore virus,
Et tua tentabunt frangere colla manu.
Ipse tuum pectus penetrabo, & viscera voluam,
Discurramq; intus more fluentis aquæ.
Sæpe tuos cogam laqueis finire dolores,
Aut à præcipitis, te dare rupe iugi.
Vel tua mandabo penetralia rumpere ferro,
Aut multæ in patulo fonte peribis aquæ.
Vana facis mea dicta? Petas hac nocte cubile,
Iam mea non dices verba carere fide.

Non voce effugies trepidus , moriere ſepulchro ,
Et tibi non Aiax mortuus , Hector ero.

AD MARTIAM.

MArtia miraris, ferat hæc cur litterra nullas.
Blanditias ; illas nouimus eſſe nihil.
Quid lacrimæ molleſq; preces, quid carmina poſſint
Edidici ; ſterilis nil mea Muſa valet.
Quid mihi cum calamo ? Digitis quid plectra mouemus ?
Quid docta dociles perdimus arte ſonos ?
Apta mihi vis eſt, & ſtricto prælia ferro,
Aptus & eſt crudus Marte fauente cruor.
Fœmineæ ceſſate preces; date viribus omnes
Blanditiæ imbelles, delitiæq; locum.
Mollia nil poſſunt. Poſſunt in Amore iuuare
Inuiti raptus, & violenta manus.
Rapta nigri iuncta eſt thalamo Proſerpina Ditis,
Cum Patruo Cereris Nata coacta iacet.
Vxorem Boreas, ſi non rapuiſſet: ab illo
Non Zethus genitus, non Calaiſq; foret.
Quis non Romuleam laudet, ſubitamq; rapinam:
Cum fuerant medio ficta theatra foro.
Illa dies fœlix : qua legit quiſq; Puellam,
Raptoriq; fuit iuncta Sabina Viro.
Duritiam, & ferrum teneas in pectore quamuis,
Et tetricus duro ſit tibi corde ſilex.
Te licet hyrcanæ Tygres, libycæq; Leenæ
Non vincant, canæ nec feritate Lupæ.
Ortaq; ſis inter Scillam, rapidamq; Carybdim,
Et qua ſe aſſiduis eijcit unda fretis.

Aut

Aut inter dubias Syrtes, Cycladumq; recurſus;
  Cyaneaſq; minas, ambiguumq; mare.
Compos ero, uotiq; potens (pia Numina teſtor),
  Sed tamen, hæc ſumpto ſi ualet enſe manus.
Inq; ſinu trepido ſi te tegat anxia Mater:
  E trepido rapiam te tamen ipſe ſinu.
Aſſiſtatq; Pater, geminiq; in limine Fratres:
  Non timeam, non ſi Mars foret ante fores.
Mater: ne raperet Briſeida fortis Achilles,
  Cumq; fero Fratres non valuere Viro.
Cum fudit validis lyrneſia tecta lacertis,
  Æquauitq; ferus mœnia lata ſolo.
Senſit Achillœos quiſquis fuit obuius enſes:
  Cum patria ciues procubuere ſua.
Illa Virum, Matremq; ſuam, Fratreſq; requirens
  In gremio ſedit preda nouella Ducis:

NON DIFFERENDVM.

OMnis ab antiquis renouatur moribus ætas
  Et puer eſt omni doctior arte ſene.
Reſq; nouas ſemper video, ſemperq; renaſcor,
  Mutato fio ſemper in orbe nouus.
Candida Simplicitas cedit puerilibus annis:
  Conſilioq; ſenex non valet, ille valet.
Stultum eſt velle iterum leporem reuocare relictum:
  In caſſes raro præda remiſſa cadet.
O quoties aliquem vidi: cum ſera Senectus
  Aggrauat: amiſſi pœnituiſſe boni.
Non redit vlla dies pedibus volat illa citatis,
  Et celeri facilis labitur hora die.

N 2 Quod

Quod fuit : hoc non eſt. Quod adeſt : hoc non erit vnquam
Quodq; erit : ambiguum eſt. Vtere quicquid adeſt,
Non grauidas ſemper lætus fert campus ariſtas,
Nec pingues vuas vinea ſemper habet.
Hæc nunc : quam ſpectas tot milia poma ferentem:
Poſt modo non vnum : quod ferat : arbor habet.
Multa miſer potui : quæ non feciſſe dolori eſt,
Torqueor in lenta me tenuiſſe mora.

L I B E R T A S.

SVm meus, & nullo iaceo demerſus in igne,
Nunc ego ſum liber; qui modo ſeruus eram.
Vincula diſrupi, cæco ſum exemptus Amore,
Et nulla in medio pectore cura ſedet.
In nullo querulas ſuſpendo poſte tabellas:
Humida ſunt lacrimis limina nulla meis.
Non citharæ, cantuſq; iuuant, non æra, tubęq;
Et nulla obliqua tympana pulſa manu.
Per me ſecure campo dormitur aperto
Secureq; omnis fit Reſerata domus.
Quam vult quiſq; velit, nec me formidet amantem,
Riualem nullus me putet eſſe ſuum.
Turpia deſtitui; cum ſit res turpis amare;
His ego criminibus terga voluta dedi.
Quid non audet Amor, vel quid tentare recuſat?
Crimina permitti; cuncta licere putat.
Omnia peruertit, commiſcet faſque, neſaſq;
Interdum Superos eſſe, Iouemq; negat.
Cęcat Amor : nunquam Morti timet obuius ire,
Vel dare, vel contra vulnera mille pati.

Hoſtem

Hostem fatali donauit Scylla capillo,
  Externumq; Patri prætulit illa Ducem.
Oblitusq; sui simulat nunc esse Dianam,
  Nunc Aquilam, nunc se Iuppiter esse Bouem.
Fit Focus interdum, formam modo sumit Oloris
  Et modo per tectum diuite stillat aqua.
Martia flamma meis quondam non parua medullis,
  x cidit ex animo tota relicta meo.
Iam valeat, quæratq; alium: qui tempora perdat,
  Quiq; sciat dulces prendere blanditias.
Non me respectat; non me vult illa; nec illam.
  Ipse volo. In legem: quam dedit illa, cadat.
Est dignum: quod quisq; facit; patiatur, & Actor
  Hoc quoq; plectatur, consimiliq; modo.
Digna perire fuit: scelus est qui vixerit vnquam,
  Quæ Mortis voluit, me genus omne pati.
Este Dei testes, sacras Dictina sagittas
  Atq; tuas iuro flaua Minerua comas:
Me nunquam posthac rediturum ad limen Amicæ
  Succidam: si pes hic volet ire: pedem.
Destituam laudes: poterat quibus esse superstes;
  Destituam calamum; destituamq; lyram.

DE MARTIA.

A Me iurauit nunquam cessare Cupido,
  Tunc: ego cum moriar: sæuus abibit Amor.
Iuraui quoties collo remouere cathenas?
  Sed: bene cum iuro: tunc bene colla ligo.
Sæpe fui strictum conatus soluere nodum,
  Cum conor nodum soluere: iungo duos:

Sic

Sic minimo reuocatur Amor, creſcitq; reſumptus;
  Et vires gemina fortius auget ope.
Vt nondum extinctus, ſed adhuc in ſtipite viuus;
  Ignis ab accepto flamine maior erit;
Vt ſi quis vulnus bene non ſanauerit æger:
  A male ſanato vulnere peius habet.
Credideram dempſiſſe iugum, ſuperaſſe furorem,
  Quodq; meo fuerat corde fugaſſe malum.
Heu grauius recidi, grauiori aſſumor ab igne.
  Inq; meo grauior pectore flamma ſedet.
Qui ſemel effreno ſe ſe ſubiecit Amori:
  Ille ſui poterit iuris habere nihil.
Illeque non poterit grauidi non velle furoris
  Seruitium, nullo tempore liber erit.
Sæpeq; differtur, ſed non extinguitur ardor;
  Sopitur potius; quam cadat vllus Amor.
Montibus interdum vacuus venabar in altis,
  Vrgebantq; canes in mea lina feras.
Arboris interdum ponebam membra ſub vmbra:
  Qua daret exiguæ murmura riuus aquæ.
Et nunc per latos campos, & prata regebam
  In longos curſus ora ferocis equi.
Sæpe vagis tota ſpatiabar lentus in Vrbe
  Paſſibus; in nullo limine certus eram.
Forte tamen dubio, dum ſic errore trahebar
  Per nemora: & nemorum per loca ſola vagus.
Neſcio quid ſenſi, vel me ſenſiſſe putaui,
  Mota tamen paulum canna paluſtris erat.
Acceſſi, propiorq; fui quis crederet vnquam;
  Lilia ſtringebat, Lux mea, ſumma manu.

Viſa

Visa dedit risum, risus reuocauit Amorem:
  Sopito maior venit ab igne focus.

AD MAVRVM.

MAure Ducum, Vatumq; decus: cui tempore belli,
  Cuiq; togæ cingit sacra corona comas.
Accusas sopisse meam sine carmine Musam,
  Et culpas segnem conticuisse Lyram;
O quæ vera mones, quæ digno corripis ore
  Ignauum, & (fateor) non nisi vera mones.
Quæq; mones noui; sed quid nouisse iuuabit:
  Si bona dum nosco: deteriora sequor?
Carmine (iam memini) toto celebrabar in Orbe;
  Deserto nulla carmine parte legor.
Laudantur Reges in sceptris, Milles in armis,
  In Phalaris sonipes, inter aratra boues.
Turpe est ruricolæ durum liquisse ligonem,
  Turpe & aratori deseruisse iugum.
Et turpe est calamos, & carmina linquere Vati:
  Hac dempta dici parte Poeta nequit.
Non sum qui fueram; cecidit lyra: Musa recessit,
  Nec mea diuinus pectora Phœbus adit.
Sæpe lyram querulo conor percurrere plectro,
  Lugenti similes dixeris esse sonos.
Non mihi materia est, non ars mihi Carminis ulla,
  Verbaq; deficiunt, deficiuntq; pedes.
Difficile est animo tristi componere carmen,
  Nec bene sollicito cantus in ore sedet.
Læta meis quondam spirabant tempora votis,
  Et nullo mœstus tempore, lætus eram.

Et

Et lapis aſſiduam ſignabat candidus horam;
Inq; urna tantum calculus albus erat:
Et facili ſemper fœlix ab Amore tenebar,
Et nulla fallax arte premebat Amor.
Tunc ego cantabam; cantanti mille ſubibant
Carmina, materiæ conueniente lyra.
Et minima immenſum præbebat cauſa uolumen.
E nihilo magnum proueniebat opus.
Vtq; omnis medio deceſſit pectore flamma,
Et nullum ſenſi pectus habere focum.
Protinus excuſſa eſt digitis lyra, protinus omnis
Effugit Phœbus, Pieridumq; chorus.
Viuo piger (fateor), turpiq; ignauia ſorde
Lenta grauat, ſegni deſidiaq; premor.
Riſus abeſt, cantuſq; omnis, luſuſque, iocuſq;
Me lachrymæ triſtes, triſtis & angor habet.
Deſine mirari, finemq; impone querelæ:
Si noſtro nullum carmen ab ore cadit.
Sed tu prome cadum; ſpumas cratera uomentem
Da mihi: ſi Vino poſſet abire dolor.

AD MARTIAM:

MArtia quid quæris flammis imponere finem
Laſſatur verus, non ſatiatur Amor.
Creſcere blanditijs didicit furor; omnia quamuis
Concedas: videor nil habuiſſe mihi.
Cum bene iunguntur: tunc deſperantur amantes,
Pluraque cum nequeant poſcere: plura petunt.
Sic grauis ingeſtis focus increbreſcit ariſtis,
Sic flammis poſitæ dant alimenta faces.

Ad Mare, quis nescit, de tota currere terra
 Flumina? Sed nullis se Mare replet aquis.
Quamuis non hederæ serpant in stipite quercus
 Arctius, aut vitem non magis vlmus amet:
Te tamen extremos credo penetrasse sub indos:
 Cum premar à gelidi frigidus axe poli.
Tunc ad summotos puto me migrasse Britannos,
 Cogito tunc Arabes me periisse leues.
Non fuit amplexus coniunctior ille duorum
 Serpentum: prato cum iacuere duo:
Quos iam Tiresias baculi violauerat ictu:
 Cum fuit ex ipso Fœmina facta viro.
Vnaque Naiadum fœlix est Salmacis: illi
 Contigit vt mixtæ corpora iuncta forent:
Crudeles Superi, crudelia iura Deorum,
 Pessima Iunonis, pessima facta Iouis.
Qui nihil æterni nobis cessere, piumq;
 Humanum tantum destituere genus:
Cœtera luminibus qui respexere benignis;
 Mitius in toruas seq; habuere feras.
Longæuus didicit serpens spoliare Senectam,
 Lubricus in prato est : qui modo segnis erat.
Qui mox dente graui teneras male carpserat herbas:
 Nunc noua mutatus cornua Ceruus habet.
Vnica fertur auis flammis se imponere, rursus
 Viuere, deque rogo nunc noua cantat auis:
Ecce dies qui nunc celeri delabitur hora:
 Cras erit: in prima luce renatus erit.
Occidat hic quamuis Sol: scit tamen ipse redire,
 Nec nosti canas ponere Phæbe comas.

Omnia cum redeant: reditu caret ipſa iuuentus,
  Occidit illa ſemel, perpetuoque iacet.
Viuamus: turpeſque Senes: quos lenta Senectus
  Moribus opponit: nullius aſſis erunt.
Vtilis, & mollis tacite iam labitur ætas:
  Dum loquimur, longas pertrahimuſque moras.
Congredere, & lætæ repetamus gaudia vitæ,
  Et ſint cum multis gaudia mixta iocis.

PACIFICI

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI HECATELEGII

LIBER OCTAVVS.

AD LECTOREM.

QVi non pectoris esse me putabit
Sani, menteque me bona carere:
Cum nullo penitus pudore tangar,
Cum sit crassior, & satis papyrum
Iam turpes pudeat referre nugas:
Abderas sapit, & graues bituntos
Hæc me secula : quæ tenent furentes:
Si solus saperem : probum negarent:

AD LECTOREM.

VIrgilius merito Reges, & doctus Homerus:
Qui fuerat illo tempore : laude canunt.
Sed tunc tempus erat : quod non est. Vatibus illi
Prœmia pro minimo carmine magna dabant.
Nunc adeo intendunt gazis, & rebus : vt omnes
Pro nihilo Vates interijsse velint.
Carmina res vanas, & vanos esse Poetas
Dicunt, & cunctos mente carere bona.

Si quod opus multa vigilatum nocte, dieq;
  Vis dare : reijceris tuque, tuusq; Liber.
Gratus eris, quando dederis lususq; Iocosq;
  Et bene conditos, si coquis ære cibos.
Si quid Scurra facis, si quid Parasitus in aula
  Quod moueat risum : diues habebis opes.
Hæc ego cum solus mecum, intra meq; voluto:
  Quid e me fiat nescio, nec quid agam.
Ergo ego diues ero: si risum forte mouebo
  Ridebit nugis ille, vel ille meis.
Quod nunc conueniat dictent mea tempora carmen.
  Vt sua iam veteres : sic ego nostra sequar.
Omnia fert ætas. non hoc dat bruma: quod ęstas.
  Non eadem semper quilibet annus agit.
Iam facilis pietas, & sancta vehebat honestas,
  Puraq; simplicitas, Relligioq; viros.
Iam fuit in pretio Virtus, æquataq; cœlo
  Nunc iacet, & vili sub pede quisq; terit.
Inq; opibus laus est, opibusq; parantur honores.
  Numina diuitiæ, Numina numus habet.
Sæpe Duces volui versu cantare tonanti,
  Et canere altisono bella superba pede.
Bella, Ducesq; mihi non sunt; nisi bella vocāres
  Cum bene sum pransus, cum bene cœno, bibo.
Hæc me bella iuuant, sunt hæc mihi prælia curæ:
  Hæ mihi sunt acies, hæc mihi pugna placet.

IN SYLVA.

SOlus eram: ſi non mecum foret ignis, & Angor,
Et dolor, & gemitus, ſollicituſque timor.
Ante fuit nitidus fons pellucentibus vndis.
Proxima vicinum gramen alebat aqua.
Perpetuis circum denſiſſima Sylua virebat
Frondibus, e ramis multa canebat auis.
Membra ſolo poſui virides porrecta per herbas,
Subſtinuit mento dextera nixa caput.
Aut has, aut ſimiles effudi pectore voces
Iactaq; ſunt ſurdis talia verba locis.
Ecquem vidiſtis ſic intabeſcere Syluæ?
Ecquem crudeli ſic in Amore mori?
Non vllis precibus, lachrymis non flectitur vllis
Lux mea, turbato eſt ſurdior illa freto.
Non amat, & non vult à me crudelis amari,
Meq; iubet mentem rebus habere meis.
Hanc ego ſi ſpecto, vel ſi quid dicere tento:
Sæuior eſt Vrſis, aſperiorq; Lupis.
Eq; mea rapidos facie vix temperat vngues;
Confectum cura cum videt eſſe mea.
Et tamen hæc quanto minus, & minus audit Amori:
Hoc magis inſano cogor Amore mori.
Quid faciam? Si me velit ire per arma, per ignes,
Subq; vndas: in me non erit vlla mora.
Nunc iubeat cauea catulos efferre Leenæ,
Et nunc; aut Vrſæ, vel velit illa Lupæ.
Nuda venenatis opponam pectora telis:
Si lateri Cephalus dirigat illa meo.

Pectora vel tenui præbebo nuda ſagittæ:
Sit licet Hylæi miſſa ſagitta manu.
Hæc ego iactabam meditantem plura reliquit
Vox mea: plus vetuit ſpeſq; , timorq; loqui.
Nec mirum eſt: animum ſubitus ſi caſus ademit,
Perdiderant ſolitum guttura vocis iter.

AD STEPHANVM.

GRata domum petijt nuper tua littera noſtram:
Qua nihil accepta gratius eſſe poteſt.
Carior argento eſt, & longe carior auro.
Omnibus eſt gemmis ante locanda meis.
Nunc foueo gremio, nunc illi baſia redo;
Et modo poſſe meo condere corde velim.
Orphea cum nigro cecinit ſua carmina Diti:
Cogito non aliam ſollicitaſſe lyram.
Hoc digitis credo mouiſſe Amphiona plectrum:
Structile cum Thebis creſcere iuſſit opus.
Hac vſum cithara Phœbum puto, bella Gigantum,
Armaq; victoris concinuiſſe Iouis.
Hac etiam Nautas modulatus fugit Arion:
Cum vectus longum per Mare piſce fuit.
Si tibi pulſanti Thamyras admouerit aures:
Arte tua vinci ſe tibi faſſus erit.
Dumq; tamen cœlo noſtræ præconia laudis
Aſſeris : ah nimium lora remittis equis.
Et quamuis multos capiat ſua gloria : rebus
Menſuram multos impoſuiſſe iuuat.
Quicquid in excelſa, ſummaq; locatur in arce:
Corruet, & finis non niſi lapſus erit:

Si maiora ſuis Phaeton non viribus eſſet
  Auſus : in Eridani non cecidiſſet aquas.
Icarus æthereas nimium dum tendit in auras:
  Cogitat Icareo nomina ferre Mari.
Talia mirarer : ſi quiſq; dixerit alter:
  Sed tua te virtus fecerat iſta loqui.
Magnus es : in magno qui me ſuſpendis honore.
  Debent in laudes : quæ canis : ire tuas.
Quodq; cupis: cupio ; qui te non optat amicum:
  Dicatur mentem non habuiſſe bonam.
Tu mihi ſis Pylades, ego ſim tibi carus Horeſtes,
  Euryalus tibi ſim, tu mihi Niſus eris.
Si qua mihi res eſt : qua delecteris : habebis:
  Elige, & arbitrio cuncta reuolue tuo.
Omnia ſi ſumes : erit hæc gratiſſima nobis,
  Res erit hæc animo non aliena meo.
Et ſi quid potero (pro te me plurima poſſe
  Optarim) iubeas, iuſſa libenter agam.
Deniq; quicquid ero : ſemper tuus eſſe videbor:
  Dum viuam, & donec non mea vita cadet.

G A V D I V M.

MVſa ſuum grato reſpexit lumine Vatem
  Nec fuit in vaſto gurgite paſſa mori.
Non erat vlla meæ ſpes in me certa ſalutis,
  Sanariq; aliqua non ego rebar ope.
Et mihi diffidi penitus, vitamq; leuandam
  Credebam nullis artibus eſſe meam.
Vtq; ſolet nulla cancer medicabilis arte
  Serpere : ſerpebant ſic mala noſtra mora.

Sic Fortuna meo damno se explere solebat:
   Se focus vt lignis, vt solet æquor aquis.
Nostrorum vt series narretur summa laborum:
   Hactenus à cunis creuerat ipse labor.
Audijt hæc Mater: cum me demiserat aluo,
   Et fuit incerto vox data certa loco.
Quo puer hic crescet: crescet sua cura, lapillis
   Nec poterit nitidis iste notare dies.
Territa voce noua, geminoq; affecta dolore
   Palluit, in tota nil nisi frigus erat.
De face commota non est sibi reddita flamma
   Et funesta suo culmine sedit auis.
Hæc mihi Fata dabant misero, sed maxima Virtus
   Non Fato aut aliquo sidere pressa iacet.
Vincuntur Virtute Dei, superantur & astra,
   Parcarum rursus, truncaq; fila ligat.
Sideribus nec danda fides: si Fata minantur:
   Hæc quicunq; sapit: posse nocere negat.
Æternos video tandem finisse labores,
   Meq; cathenatis terga dedisse malis.
Vicimus, & tota fugerunt nubila mente.
   Curaq; Sollicitum non velut ante premit.
Nunc bona perpessæ fecere obliuia curæ.
   Et puto me nunquam substinuisse malum.
Gaudeo, nec quisquam poterit sic lætus haberi.
   Lœtitiæq; ualet par nihil esse meæ:
Affluo diuitijs, ingensq; est copia rerum,
   Et largas facilis Musa ministrat opes.
Sacraq; non vincit sacros nunc Bacca corymbos,
   Nunc Phæbus maius Pallade fœnus habet.

Carmine

Carmine pro minimo diues largitur opimas
  Vnus opes: carmen ſic amat ille meum.
Magna quidem dederat: multo eſt maiora daturus;
  Impoſuit noſtris luctibus ille modum.
Non referet dominum, nec laudes iſte Libellus.
  Iam iam nunc aliud nobile fiet opus.
Niliacas (ſtatis pueri) mihi ferte papyros,
  Carmina ſunt Domini multa notanda mei.
Illum cantabo: trahet hic dum ſpiritus auras,
  Illum: dum viuam: noſtra Thalia canet.
Illi ego ſum curæ; debet mea Muſa, valebit:
  Cynthia ſi qua mihi, ſi quis Alexis erat.

AD MVSAM.

INunc, & domini claros pete Muſa Penates,
  Omnis in officio ſit tua cura meo.
Sit mora nulla viæ. Non eſt: quod forte recuſes:
  Difficilis duro poſte petenda domus.
Ianua laxatur nullis religata cathenis:
  In toto limen non magis orbe patet.
Illic non poteris quicquam, mea vita, videre:
  Quod te ſollicitet, triſteq; tardet iter.
Illic non faſtus, non ulla ſuperbia regnat,
  Sed placidi vultus, mixtaq; cuncta iocis.
Illam turba colit ſemper tua: non eris vna,
  Illa eſt à clario ſemper amata Deo.
Multa viret Laurus claris redimita triumphis:
  Multaq; victoris fulget imago Ducis.
Hoſpes eris ſic ipſa domus, ſic ipſa recepta:
  Caſtalij dicas antra fuiſſe loci.

Alcinoi placidos referes petijsse Penates;
  Teq; Molorchæi tecta subisse laris.
Non est quid moneam: precibus ne tempora desint.
  I quocunq; velis tempore: gratus erit.
Poplite summisso pedibus tamen oscula iungas,
  Et referas animi talia verba mei.
Pro domino supplex venio: nec gratia desit:
  Te rogo, non illo te magis alter amat.
Non foret infœlix: si non seruiret Amori,
  Illaq; non sineret: quam colit: vsq; mori.
Vsq; caua scelerata manu sibi munera poscit,
  Iam modo, quod dederas: hic dedit, illa vorat.
Si rogat hic quis sit: tu respondeto, Poeta.
  Dicito tu: rursus si rogat ille: tuus.

MIHI IPSI.

SEmper in insano quid te iuuat esse dolore,
  Et madidus lachrimis semper habere genas?
Pacifice obdura, quæ iam periere: perisse
  Ducas: ne ve sequi non reparanda uelis.
Et cum Fortuna pereant tua uota, nec ultra
  Concessum quæras, & tua Fata mori.
Quid facies? nihil hi gemitus, lacrimæq; iuuabunt.
  Des caput hoc muro: res tamen acta tua est.
O quanto est satius mentem componere, & omnem
  Tristitiam è medio tollere corde grauem.
Candidus effulsit quondam tibi Phœbus, opacas
  Nunc oculos umbras explicat ante tuos.
Vera loqui fas est, ecquid tibi defuit: ille
  Dum uoluit, nulli postposuitq; uiro?

Et

Et tibi iam quicquid voluisti: prestitit ultro,
Quicquid & optasti: iam tibi sponte dedit.
Scis bene: Tunc dulces quanto deperibat amores
Martia, nec longas vota fecere moras.
Nunc non vult, aliumq; tenet, te spernit, & odit,
Tu quoq; Fortunæ vela remitte tuæ.
Ne dubita miseram facti quandoq; pigebit
Inq; tuos cupiet sæpe redire sinus.
At tu durata stabis tum mente, nec illam
Respicies, facies tu (mihi crede) mori.
Insanæ semper mentis, sensusq; prophani
Hanc noui, & semper pectoris esse rudis.
Quid me destituit, quid me malesana reliquit?
Quid magis inueniet nunc in amante nouo?
Scilicet alter erit: qui sic suspiret Amorem,
Qui sic dispereat: scilicet alter erit?
Meq; suæ miseret vitæ, decepta misella est;
In quod labatur: nescit inepta malum.
Tempus erit: quo nemo volet: quo nemo requiret,
Et stabit clausas turpiter ante fores.
Iamq; comas cani inficient, rugæq; decorem,
Iamq; dabit miseros tela, colusq; cibos.
Iam cadet ex humeris vestis malesarcta, putrisq;
Iam nudos pellis non teget vlla pedes.
Tunc ego ridebo, tunc & mihi gaudia fient;
Vindictam læta fronte videbo meam.
At nunc Pacifice obdura, perferq; dolorem,
Et sine: quo cæpit currere, tempus eat.

AD ANTONIVM.

ANtoni, ſi non tanquam Pater alter amarem:
  Talia non loquerer, qualia verba loquor.
Inq; bonam quicquid dico (precor) accipe partem;
  E medio quicquid dixero corde venit.
Effugias, iacto placeat, ne teſſara talo,
  Neue Venus placeat, ne placeat ve Canis.
Nec delecteris Mandris, vitreoq; latrone.
  Vidi aliquem nulla veſte redire domum.
Effugias Reges: quibus eſt & nummus, & enſis,
  Et claua, atq; calix: in ſua regna feros.
Naſcitur hinc omnis cunctorum cauſa malorum,
  Hoc vno in vitio crimina plura latent.
Ludere ſi libuit: nucibus ludatur ad Orcam,
  Et tua per longas ſit pila miſſa vias.
Effuge Caupones, & olentes mane Popinas,
  Quod matutinus det tibi: Piſtor habet.
Numina ne ledas, ſemper periuria vites,
  Neu ſolue in magnos dicta prophana Deos.
Iuſſa Patris, Matriſq; tuæ ſeruare memento.
  His ducibus poteris non male ferre pedes.
Cumq; bonis coniunge viris commertia ſemper,
  Qualis erit Socius: tu quoq; talis eris.
Colloquijs faciles ne præbe turpibus aures:
  Corrumpunt mores, nam mala verba bonos.
Eſto bonus, ſectare bonos, imitare probatos,
  Et uita tanquam dira uenena malos.
Virtutemq; animo, manibuſq; amplectere totis.
  Hæc res Fortunæ non cadit una rota.

Inſpice

Inſpice de ſeptem ſapientibus ipſe Biantem,
Perdiderant alij; res habet ille ſuas.
Tecum erit hæc: ſumma fueris ſi primus in Vrbe,
Exul eris: non hec deſinet eſſe comes.
Diſce bonas artes, diuinos diſce Poetas,
Diſce oratores; diſce & vtroſq; ſimul.
Hoc quicquid tetigi: memori ſub mente reponas,
Conſulerem Natis, non ſecus ipſe meis.
Hoc ſi tu facies: bene me monuiſſe videbis,
Meq; tibi dices conſuluiſſe bene.

AD SVPEROS.

ET quando Superi finem imponetis Amori?
Et quando iſta meo pectore flamma cadet?
Semper in inſanos ibit mea vita furores?
Et medicina meo non erit ulla malo?
Et furor hic toto non extenuatur in anno,
Et pereo, & video me ſine morte mori.
Me mille excruciant curæ; me mille labores,
Et puto, mille meo corde ſedere canes.
Si petit occaſum, ſi Phœbus ſurgit ab ortu:
Me gemere, & ſemper me lachrymare videt.
Non eſt vlla dies, non eſt nox ulla, nec hora:
Quæ non conſpiciat me ſine mente mea.
Nullus & in toto dominantur corpore ſenſus,
Incertumq; mei me vagus error agit.
Neſcio: ſi viuo, vel ſi defunctus oberro,
Vel ſi me pedibus per loca porto meis.
Ecquid vis faciam? ceciderunt bracchia: tandem
Non digitus trunco, nec foret vlla manus.


Ingenium perijt, curæ periere Libelli,
Et fuligo meam texit opaca Lyram.
Hei mihi libertas quoniam mea fugit, & unde
In me deciderat tam grauis ira Deum?
Dat uires alijs, animumq; ministrat ad artem,
At me non sano sub pede calcat Amor.
Et trahor arbitrio puerili, curaque non est:
Si me per silices, & loca cœca trahit.
Cogito nil aliud, nisi: quo sum perditus; Ignem,
Sensibus hæc una est cura relicta meis.
Et natat ante oculos facies, & grata uoluptas,
Accipere, & pariter reddere uerba puto.
Nunc puto per Syluas agitare in retia Ceruos:
Et celeri in Leporem soluere uincla Cani.
Nunc sedare sitim gelidi libamine fontis,
Et nitidos riui per uada ferre pedes.
Et nunc umbrosa captare sub arbore frigus,
Gramineq; in molli, ponere molle latus.
Tum fingo, roseo circumdare bracchia collo,
Et mordere rubris æmula labra rosis.
Sed tamen insani est hoc irritamen Amoris,
Pluraq; in insano iungere ligna foco.
Non poterant grauiore Dei sæuire furore,
Non hoc est peius, deteriusq; malum.
Perditus usq; adeo uiolento torqueor igne,
Vt mea non possit pestis habere modum.
Tabesco, miseroq; miser dilabor Amore:
Mollis ut ardenti proxima cera foco.
Spumoso generata mari, generata cruore,
Quid me tam lenta perdis acerba face?

IN MATRONAM.

ASpice quo greſſu venit hæc Matrona ſuperbo,
Quamq; ſupinato pectore lenta venit.
Non multum eſt; poſtes erat hæc effuſa per omnes.
Tinctaq; erant lachrymis limina cuncta ſuis.
Supplice nunc iſtum, nunc illum voce rogabat,
Oſcula tum manibus, tum pedibuſq; dabat.
Ad quas non Aras, ad quæ non Templa refugit?
Quos non tentauit ſollicitare Deos?
Ibat demiſſa triſtis ceruice per Vrbem.
Auſa nec à terra tollere lumen erat.
Nunc tantum intumuit, tantumq; ſuperbit; ut omnes
Sub pedibus Superos conteruiſſe putet.
Vertitur hæc: veluti lædas: ſi forte ſalutas,
Et te turbato lumine torua videt.
Non facit hæc aſſis quemquam; ſibi tanta videtur:
Iuppiter ut poſſit non generare parem.
Inq; Solo ſparſos nummos ſi mille videret:
Non ſe acclinaret reſpiceretq; ſemel.
Talis romanos ibat Cleopatra Maritos
Viſere, gemmatos veſte mouente ſinus.
Non aliter phrygij regnis, & coniuge claram,
Ad thalamos Hecubam ſuſpicor iſſe Viri.
Non tales habuit Niobe temeraria faſtus;
Ante gemelliparæ thura negata Deæ.
Non credam Superos, credam non eſſe Tonantem:
Si poſſunt iſtam ferre, patiq; diù.
Et ratione regi Cœlum, terramq; negabo:
Luminibus pœnas ni dare ſpecto meis.

Sed noui Superos oculis mortalia iuſtis
  Aſpicere, & iuſta pendere Lance vices.
Ingratamq; vident, nec tanto munere dignam,
  Vt dederant: poterunt ſic ſpoliare datis.
Nam quotiens uoluit facilis Fortuna iocari:
  Infima ſublimi ſede locare ſolet.
In ſumma quicquid componi ſuſpicis arce:
  Corruet, & caſum ſera ruina trahet.
Non durat quodcunq; modum non ſeruat, & exit
  Fine ſuo. Medium ſæcula longa uidet.
Si uitam paulo dant Fata: redire uidebo
  In caſus iterum, quos modo paſſa fuit.
Vt puto: non rurſus ſurget, ſed preſſa iacebit
  Semper, per lachrymas, per gemituſq; graues.
Hoc uideam, & Superos nil plus, nil Fata rogabo,
  Hoc uideam, & truncet mox mihi Parca diem.

fig. 9ª






fig. 2ª







fig. 3ª



·XIII·
·VI·
·VIII·
·II·
·II·
·VII·
·III·
·IIII·
·IIII·
·O·
·IIII·
·XII·
·IIII·
·I·
·VI·
·VIII·
·Signatrix·
Pacificus·




fig - 4ª
3
8
13
2
9
12
4
7
14
5
6
1
10
11
Pacificus


fig. 5ª




Nouēber. Aplis. Septēber. Junius
Maius. October. Iulius. Mar.
Januari. Augus. Decēber
Februarius



fig. 6ª.





PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI HECATELEGII

LIBER NONVS.

AD LECTOREM.

NOn hæc ſobrius : ut ſolent ſeueri
Scripſi, nec memini, ſed ipſe forſan
Tum ſenſu carui, bonaq; mente,
Vel vino madidus, ciboq; plenus
Erraui, calamo iubente prauo.
Quis ſanus ſua mandat in Libello
Vates crimina : quæ tegi nocentes
Quærunt, ſed niue : qua ſolet conſperſa.

AD FORTVNAM.

ET merito; quid te toties Fortuna momordi?
Iure facis : ſi me ſub pede læſa premis.
Pagina vix vlla eſt noſtro deſcripta Libello,
Quæ te non aliquo tentet adire malo.
Sæpe ego te ſæuam, crudelem ſæpe vocaui,
Et quæ fida vlli non potes eſſe Viro.
Pœnitet, & factum rapido mandabimus igni,
Vel rapient venti, vel freta ſumma ferent.

Omne meum carmen relegam, textumq; retexam,
Delebitq; tuam multa litura notam.
Nec mirum est: si me factis vexauit amaris,
Si commota mihi ferre negauit opem.
Hæc ego: quam potui gratam mihi reddere: feci,
Vt dictis esset nunc inimica meis.
Ipse mei sum causa mali; mea lingua loquaci
Obfuit, & leuibus scripta proterua modis.
Quod si Fata dabunt vitam mihi: quisq; videbit,
Moribus antiquis substituisse nouos.
In me succedet pellis noua: qualis in Angue,
Qualis & in Ceruo post sua lustra cutis.
Non ero, qui fueram, totus mutabor, & omnes
Efficiet stupidos vita nouata Viros.
Non tantum potui sceleris committere: quantum
Cogito, nunc versa sorte referre boni.
Nunc video: qui stultus eram, qui mente carebam,
Quodq; in me rectæ, nil rationis erat.
Quis nisi mentis inops illi maledicit, & odit:
Lædere, quæ cum vult, quæq; iuuare potest.
Hac nihil in Terra maius, Cœloque videtur:
Cui res par nunquam, resq; secunda fuit.
Cum libet: hæc humiles summa locat arce, superbos
Cum libet, hæc summa deijcit arce Viros.
Vidimus, hac Parthis Crassum dare colla iubente,
Ventidio, hac Parthos colla iubente dare.
Fortunæ Cyrus vires cognouerat ambas:
Cum modo conciderat, cum modo natus erat.
Persarum Regina suis nutrita columbis
Coctile non lecto crine recępit opus.

Inter

Inter Vestales latitauit Cæsar, & orbem
  Subdidit, at magno non dedit vrna locum.
Quos Lupa, quos Picus deiectos flumine pauit:
  Terrarum Dominum constituere caput.
Iuppiter Idæo quamuis foret abditus antro:
  Quid Iouis imperio maius habere potes?
Te ne Deam: si quid sensus, & mentis habebo:
  Insequar? Haud faciam: si bene sanus ero.
Sed mente, atq; animo toto te amplectar, & omni
  Tu mihi præcipuum tempore Numen eris.
Te laudesq; tuas digna modulabor auena,
  Et gratam, & facilem te mea Musa canet.
Antium ab ignotis, notisq; onerata tabellis.
  Ferre meas etiam, non tibi fiat onus.
At tu pro sancta dele pietate nec vltra,
  Quas merui pœnas: fac meruisse precor.
Respice me miserum: qui sim deiectus iniqua
  Sorte, & sub quantis sit mea vita malis.
Respice, nec tantum læto gratissima vultu,
  Et tantum arride: plus ve, minus ve, semel.

AD EFFRENATVM.

NOn puer es, sed iam iuuenis crescentibus annis,
  Obseditq; tuas barba decora genas.
Hæc toga nunc alium vult: quam pretexta, comaq;
  Quod decuit longa: non breuiore decet.
Et nucibus debes mores mutare relictis,
  Et tibi nunc alia est, vita terenda rota.
Multa tulit mollis: quæ non feret durior ætas,
  Multaq; fecisti, non facienda tibi.

Infantis non eſt, ſi quid committis, & eſſet
 Ætatis vitium, quod fuit ante tuum.
Deſeruit Citharam iam dum maturus Achilles,
 Et tentare herbas, & tenuare colos.
Et iunctis fertur terras proſcindere capris,
 Integer in longum deſtituiſſe Paris.
Quid fueras notum eſt: ſcis, te nihil orbe fuiſſe
 Fœdius in toto, deteriuſq; nihil.
Sed vereor, ne ſic radices fixerit imas:
 Vt nequeat tolli falce vel igne Filix.
Pollutam, quamuis multa bene laueris unda:
 Signa ſolet veſtis ſemper habere notæ.
Dicitur uſq; canem tergaſq; ungaſq; laueſq;
 Quod venit admota nare caninus odor.
Qualis erit, tenera virga cognoſcitur arbor:
 Inq; herba viridi dat ſua ſigna ſeges.
Quale fretum fiet primis deprenditur undis,
 Arguitur primo mane futura dies.
Nidus habet: catulus pede, quis ſit, & utilis ore,
 Nidus habet: cauea, quæ bene cantet auis.
Fortè bonus poteris tamen eſſe, & viuere recte:
 Offenſum poſſes ſi reuocare pedem.
Non facis hæc primus, multi fecere, ſed vnum
 E multis vix ſe corripuiſſe vides.
Sed tamen huic vnquam, fore te deſpero ſecundum:
 Nullo ſanandi tempore ſigna geris.
Inte iam feſſi mores liquere Parentes,
 Quæq; tuus Rector lora remiſit: habes.
Qui vix à culto referebat ſemen agello;
 Speret ab inculto poſſe referre nihil.

Qui

Qui male currebat freno moderante: putetur
  Quod defrenatus non bene curret equus.
Naufragus in medio iactas tua bracchia Ponto,
  Quam iacet à tergo: tam iacet ante Mare.
Nullus defessos Delphinus subleuat artus:
  Nullaq; diffutæ rapta tabella Ratis.
Sæpe tuum decimæ caput obruit impetus undæ:
  Nunc hiat, & nunc se tollit in astra fretum.
Robur habes vitij nullo tractabile ferro,
  Dum mollis fueras, arte regendus eras.
Quæ nunc firma riget, longoq; induruit æuo:
  Vt libuit: quondam ductilis arbor erat.
Hunc ignem: qui nunc nulla restinguitur unda:
  Dum scintilla fuit: parua necasset aqua.
Falsa loquar, desintq; meis sua pondera verbis,
  Hæc faciet finem non nisi vita malum.
Desperanda tibi spes est, & cura salutis:
  Ni Deus à summa porrigat arce manum.

Q V E R E L A

NVllus in Italia locus est mihi, cuncta reuolui,
  Non possunt aliqua viuere parte boni.
A Vitio est omnis Virtus irrisa, iacetq;
  Oppressa, & fatuus sub pede quisq; terit.
Deperit hic omnis Vates, & cura Libelli,
  Deperit, ingenij deperit artis opus.
Et nihil est adeo rarum: si vile putatur
  Quod non desperet, deficiatq; sibi.
Detestor Matris, Patris detestor & umbras:
  Discere qui steriles me voluere notas.

Si ſua fert alijs cenſus: me reddit egenum
Ars mea, & inſana torquet acerba fame.
Quis faceret pretium rebus, quas nullus amauit?
Qui faceret: vere non bene ſanus erit.
Si quis agit merces: ſumet pro mercibus aurum
At pro carminibus ſumet inane Sophos.
In nummis Diues, Vates in carmine mentem
Ponit, habet nummos ille, ſed iſte modos.
Hic qui per bibulas mandauit ſemen arenas:
Succidet meſſis tempore falce nihil.
Qui Laurus, Hederaſq; ſuis plantauit in hortis:
Ex illis frondes, non ſibi poma leget.
Ceſſiſſet melius durum retinere ligonem:
Quam calamum, & terram vertere, quam legere.
Dumq; nihil facio lucri, nec parta reſeruo:
Reſtabit de me fumus, & aura leuis.
Heu quantum noctis peperit mortalibus error,
Omnes per tenebras, & loca cœca iacent.
Sic habet hic, aut hic ad veri nomen honeſti;
Se velut ad Citharam pandus Aſellus habet.
Non aliter cœcus nigrum diſtinguit ab albo:
Quando hic conſilium, vel capit ille ſibi.
Si quis habet cocco veſtes, vel murice tinctas:
Illi nemo poteſt hiſcere, nemo loqui.
Cum ſe miratur ſubſellia prima terentem:
Non Terram, aut Cœlum credit habere parem.
Si quem forte rogas timide: reſpondet acerbum:
Oua licet properes, & dare cortis aues
Semper habent auidas fauces, & guttur apertum,
Inter & immenſas, non ſaturantur opes.

Quo magis aggeritur: tanto ſitit ardor habendi.
  Et rabies ipſis creſcit auara bonis.
In pretio nullus ſi non ſit diues habetur.
  Veſtibus, & nummis redditur omnis honos.
Quid faciam? Pauper careo fundoque, domoque,
  Enudantq; humeros pallia trita meos.
Ille pedum digitos ridet male pelle teneri,
  Ille nates curta non bene veſte tegi.
Ter ſum Flaminios, & ter trangreſſus Etruſcos,
  Perq; alpes decies vaſtaq; ſaxa fui.
Non tamen inuenio quenquam, qui porrigat aſſem,
  Aut cyathum minimæ qui mihi tradat aquæ.
Vltima reſtabat nobis Florentia, veni,
  Hic, ò, ſi liceat dicere; lingua ſile.

INVNDATIO.

IAm genus humanum Mergos, Ranaſq; ſequetur.
  Piſcibus atque Viris iamq; erit vna domus.
Sternuntur ſegetes per plana, per ardua vites,
  Nec poſſum Superis liba, merumq; dare.
Non valeo tectis prodire, nec eſſe ſub illis.
  Occupat ignotum ſtrata, domoſq; Mare.
Immemor eſt ſortis forſan Iouis ira futuræ:
  Qui terras iterum perdere quærit aquis.
Enſe minax ſtricto Superos hinc terret Orion,
  Hic Hyades, illic ſtat pluuiale pecus.
Clauſum iter ad dominam; mihi non licet ire, nec illi,
  Cura duos pariter temporis vna mouet.
Non hoc Leucothoen nocuit tibi Phœbe petenti,
  Vel tua cum peteret Endimiona Soror.

Tale

Tale mihi poterit Iuno prodesse : Maritus
Cum subit æmonium parrhasiumq; nemus.
Hoc velit Æneas, velit hoc Phœnissa sub antro
Cum fuit his durum molle cubile solum.
Hoc velit Alcmene : cum ter nox isset in vndas:
Cumq; fuit maior noctibus vna tribus.
Et mea si nostris esset compressa lacertis:
Tum Maris, & Cœli corruat vnda velim.
Tum lætus ventos audirem, lætus & imbres
Tum nunquam insanas ire precarer aquas.
Ergo ego : si nullus Deus audit & ira tumescit
In viduo potero membra locare thoro.
Non sic segnis ero, nec iners : ut dicar ob imbres
Ad dominam votum detinuisse meum.
Solus erat tumidis audax Leandrus in vndis?
Quodq; illi patuit : se mihi claudet iter?
Scilicet ille fretum potuit tranare lacertis?
Quis pudor est, pluuias me timuisse minas?
Si tellus, cœlumque ruit : ridebit amator,
Non cauet insidias, non cauet ille dolos.
Veste procul iacta, medias sulcabimus vndas:
Sulcantem spectet plurima turba licet.
Forsitan occurram, qui si venit obuia nanti:
Vnda volo in medijs oscula ferre vadis.
Forsitan : ut madidum siccet : calfecit amictus,
Et facto feruet plurimus igne focus.
Sæpe etiam bibulis promit caput illa fenestris:
Dum guttæ sonitus cogitat esse pedum.
Inuisasq; moras querulo modo corripit ore
Venisset dicit : si meus ille foret.

Ne

Ne dubita, venio ſemper tuus; altera ſi ſit
Cura: precor mortis cauſa ſit unda meæ.

DE NATALI.

HÆc eſt illa dies: peperit qua Buccia Mater,
Et qua lux oculis, eſt data prima meis.
Ite omnes quicunque eſtis mea tecta Poetæ
Appetite, extructis ſtat bona menſa cibis.
Pomponi Aſtreo, Volſcoq; accinctus adeſto,
Cumq; meo Lepido, Sulpitioque meo.
Non ſine Pontano Valgiq; Hæliq; venite.
Non ſine Palladio tuq; Marulle veni.
Lentus eris Cynthi: ſi non properabis adire,
Marſe niſi properas: tu quoq; lentus eris.
Æmilius rupit Cociuſque, meuſq; Sabinus,
Cum Pallantheo, Pyerioq; moras.
Callimachus venit, venit Cyllenus, & Hyrus,
Pompeius mecum eſt, Pompiliuſq; domi.
Fumat aper, largoq; replet nidore Penates,
Hunc ego conuiuis, non puto mille parum.
Inq; ſuis talem non vidit Etruria ſyluis,
Altaq; non Calydon, Mœnaliumq, nemus.
Hic erit in primis poſitus, menſiſq; ſecundis,
Finis erit cenæ principiumq; meæ.
Nullaq; ſpargentur varijs bellaria rebus,
Quid cum lactucis oxigariſque mihi?
Nullus Athis cithara, nulluſq; ſonabit Iopas,
Et ſua non aliquis ſcripta Poeta leget.
Extructiſque thoris non expectare miniſtros.
Qui ſapiet: franget vinaq; læta bibet.

Quisq; suam cyathis decies miscebit amicam,
  Miscebo decies, bis deciesque meam.
De prasino, venetoq; licet conuiua loquatur
  Quod voluit multo lingua soluta mero.
Perq; decem iuret lychnos ardere lucernam:
  Quamuis per lychnos ardeat illa duos.
Sæpe dabit ruptus, sed sæpe dedisse negabit,
  Et ventris sonitus dixerit esse pedum.
Et modo cantando voces tollemus ad astra
  Cantando tantas quis volet esse fabas.
Et nunc ad lancem nunc ad cratera choreas
  Ducemus nulla lege mouente pedes.
Congressi interdum lentum Cæroma teremus.
  Sæpeq; mittemus per loca longa pilas.
Defessi, rursusq; iterumq;, iterumq;, bibemus
  Vt genio fiant cornua bina meo.
Si venam stimulare cibus, stimulare lyeus
  Cæperit, & nido non sinit esse suos.
Res acta est, veniet digito vicina crepante
  Cum Nata Frater, cumq; Nepote soror.

AD AMICVM.

TE sapere, & magni te pectoris esse putabam,
  Nil sapis, & magni nil rude pectus habet.
Esse videbaris grauitas coniuncta pudori,
  Ate diffugit cum grauitate pudor.
Insanis, dubieq; labat discordia mentis
  Et non stat sensus: qui stetit ante tibi
Quid si nulla foret nota experientia rerum?
  Quid si non senior factus in orbe fores?

Quod

Quod redit ad puerum malesana, & fera Senectus
Dicitur, at nullus diceret ista puer.
Si me tu decies vna conueneris hora:
Ad me tu decies talia verba sonās.
Quid facis? vxorem quid non tibi rursus adoptas?
Vxorem viduo si sapis adde thoro.
Hoc narrare potes caro fidoq; sodali:
Qui te plus oculis credit amare suis?
Si sub te flammas, & sub tua tecta locassem,
Ate consilium quod mihi peius erit?
Quid non me potius duro distringere ferro
Pectora, uel laqueo frangere colla iubes?
An satis austera est, septem cum coniuge lustris
Vixisse & durum substinuisse iugum?
Non memini vitam semel his duxisse diebus
Infœlix misero quælibet hora fuit.
Sic mihi conuenit veluti solet ignis, & vnda,
Paxq; fuit: qualem Tygris, & Agna tenet.
Omnibus affecit damnis: licet esset auara,
Casta licet fuerit: non fuit illa proba.
Occidit hæc tandem pestis uiolenta iacetq;
Per nemora à sæuis dilacerata lupis.
Me tamen in laqueos tentas reuocare relictos,
Et quibus effugi, rursus adire plagas.
Deniq; si non me poteris tu uincere, nolo
Vincere si poteris me ratione: volo.
Vel me uis pulchram, uel me uis ducere turpem
Communis pulchra est, pœnaq; turpis erit.
Vel me uis mediam, sed tunc erit illud, & illud
Et duo summotis damna duobus erunt:

Ducenda eſt diues, diues volet eſſe Maritus:
Vxor ero, brachas induet illa meas.
Et miſera, & triſtis ſemper domus illa putatur:
Qua gallina canit, gallus & ipſe tacet.
Pauper erit pauper ſum fiet pauperis uxor:
Vtilis ambobus res erit iſta nihil.
Nil mihi ſi dederit: nil me ſciat eſſe daturum:
Vt timuit: timeat ne cadat ipſa fame.
Sit iuuenis, iuuenis, volumus ſi vera fateri:
Grande meis humeris, & graue fiet onus.
Eſt anus, hæc anus eſt noſtræ non apta ſenectæ:
Hanc ego nam poſco, quam ſibi poſcit opem.
Non hæc concipiet cari mihi pignora Nati,
Sic & ero Natis orbus: ut orbus eram.
Si nequeo pulchræ, turpi, mediæq; iugari,
Nec dabitur diues, pauper, anus, iuuenis:
Fare (precor) cui me poteris ſociare Maritæ?
Iam Nulli dices hanc volo. Nulla mea eſt.

AD LECTOREM.

Forſitan, & primum cur ſint incompta requiris,
Lapſaq; cur tortis carmina ſint pedibus.
Sic bene conueniunt, bene ſic ſunt apta dolori,
Sic bene diffuſis Muſa canit lachrimis.
Quis me Seianas non flectere vidit habenas?
Aeſq; tholoſanis ædibus eripere?
Me nimium ante omnes Fortuna tenaciter urget,
Inq; meis Fatis perſtat, & exitijs.
Et niſi me videat diris cruciatibus actum:
Ingemit effuſas, nec retinet lachrymas.

Interij

Interij. Non ſum. Vitæ ſpes nulla ſuperſtat.
O Fortuna meis inuida delitijs.
Nullus me læſit. Solus mihi tanta paraui;
Ipſe mala, & laqueo ſponte dedi iugulum.
Et noſtræ nullum niſi me petiere ſagitæ,
Et mea falx proprijs decidit in pedibus.
Vt ſit: neſcio quis: dum lentis paſſibus erro
Occurrit, verbis me quoq; detinuit.
Ille ſuum lachrymans miſerum narrauit Amorem,
Me puduit flammæ dicere non aliquid.
Dixi quicquid erat, nomenq;, & cuncta retexi,
Aure tamen dixi ſic velut in tacita.
Digredimur: ſua quemq; vocat mox cura: ſed illud
Tempus erat: primis Phæbus erat radijs.
Iamq; altum medij cœli conſcenderat orbem,
Ibat & umbra ſuis arboribus breuior.
Ecce meis oculis offert ſe ſydus Amoris
Fronte ſed obducta, lumine ſed tetrico.
Protinus ut ſoleo: dixi quid dic mea vita,
Quid ſpes blanda tuum de iubet imperium.
Rettulit hic iuſſi, mea ſunt mandata peracta,
Me tibi meq; tuæ perfide do fidei?
Ante meos audes ſcelerate accedere vultus?
Eſſe nec ante meos te pudet his oculis?
O mihi ſi liceat ſanctum violare pudorem:
Quale pati facerem nunc ego ſupplicium?
Hinc mentita alijs poteris narrare, tibiq;
Subtrahor, & ſubito fugerat ex oculis.
Hei mihi quo recidi? miſero quis conſulet? unde
Vnde mihi dabitur nunc miſero auxilium?

Dij perdant hominem, Dij factis præmia reddant
Digna ſuis perdant Dij caput inſipidum.
In caput hoc potius Iouis ira, & fulmen, & ignis
Vibretur, ſontem pellat, & hanc animam.
Quid mea dextra vacat? quid ceſſo fortibus actis?
Affectare necem ſemper erit timidi.
Omne meum ſcelus eſt, ego ſum mihi cauſa nocendi.
Eq; meis pendent omnia criminibus:
Pone modum verbis, longiſq; ambagibus. Aude,
Aude. Opus eſt factis. Vtere nunc animo.
Diſce mori. Ne viue miſer. Da pectora ferro.
Guttura de laqueis, ſic opus eſt. Morere.
Ve mihi, ve miſero. Superi miſereſcite. Manes
Excipite. Ad campos en venio Elyſios.

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI HECATELEGII

LIBER DECIMVS.

AD LECTOREM.

QVid non perficis integrum Libellum:
Vt summam teneas boni, maliq;?
Non visis male iudicas Poetam
Infamem omnibus, ut minus ter actis.
Chymeram capream, duos pedesq;
Chyroni faceres, & octo Iano.
Qui totum poteras videre Vultum
Extremos refugis pilos videre.

AD AMICOS.

COnsulite insano, miserumq; leuate Sodales:
Si quid consilij, si quid habetis opis.
Vror: & immenso sic sum correptus Amore;
Vt mihi sit nullus qui vacet igne locus.
Parcius ardentes rapido vomit ore Chymera,
Et vomit ardentes parcius Ætna globos.
Ferte citi plenas gelidis e fontibus urnas,
Et tentaré meo demere corde focum.

Carminibus

Carminibus ſanate precor, ſanate vel herbis;
 Si qua fides herbis, carminibuſq; manet.
Cuncta miſer paterer: ſi quid ſanaret amantem,
 Et nihil eſt, quod non ſubſtinuiſſe velim.
Si ſit opus ferro, vel viuo forſitan igne:
 Ferrum, ignem patiar: dum mala noſtra cadant.
Non me caucaſea quererer ſub valle teneri,
 Nudatumq; auidam paſcere pectus auem.
Nec me Leucadia deuoluere rupe timerem:
 Si me ſanandi cauſa ſit ille locus.
Ibo ſub ardentes, glaciales ibo ſub axes,
 Ibo ſub eoas heſperiaſq; plagas.
Sed ſpem perdiderant omnem mala noſtra Salutem
 Non mihi uel Portus, uel dare terra poteſt.
Deciderant uires animi, meq; ipſe reliqui,
 Libera ſunt per me lora remiſſa malis.
Quid faciam: ſi nulla valet medicina iuuare;
 Aut aliqua nullus, ſi ſit in arte modus?
Sic ne miſer viuam, miſerum ſic error habebit?
 Sic ero per lachrymas, per gemituſq; miſer?
Nil ego conſilij rebus præbebo ſiniſtris?
 Perdere tam miſere, me mala noſtra ſinam?
Diſperij: ſi non aliquis Deus audit, & iſtud:
 Lumine quod patior: non propiore videt.
Me calor, & glacies alterna ſorte perurget,
 Sub glacie caleo, ſubq; calore tremo.
Me ſæpe iniectis, operiri cogito terris,
 Sæpius à ventis me per inane rapi.
Extinctum interdum puto, me tellure vagari,
 Et me non humeros, me nec habere caput.

Nunc

Nunc dubito : si sim deserti corporis umbra,
Nunc, si sim vitæ corpus inane meæ.
In quas me miserum traxerunt fata tenebras?
Quos animo fluctus implicuere meo?
Quid tantum merui Superi, quæ culpa mouere
Vos potuit, quæ nos impulit ira ferox?
Meq; parum vobis fateor debere Iouiq;
Qui me tot premitis, subijcitisq; malis.
Si tantum pœnæ seruor, tantumq; dolori:
In vita quid me, vos iuuat, esse mea?
Perdere si placuit : quid cessat fulmen, & ignis;
Vel si quid maius fulmine, & igne foret,
Afficitis sine fine malo, sine fine dolore;
Et didicit lenta crescere pœna mora.
Sic iam diffido sic spes est omnis adempta:
Vt foret hac vita mors mihi cara magis.
Aut nunquam vellem Superas venisse sub auras;
Aut vellem stygios me subijsse lacus.

AD SVPEROS.

VOs superi testes; nunquam mea vota fuisse:
Vt grauis immensas arca teneret opes.
Scitis, quod risi dites, & ditia tecta,
Aut si quis multo verteret arua boue.
Et modico rebar, paruoq; insidere vitam,
Et si structa foret paupere mensa cibo.
Hortos, qui ferrent caules, bona summa putaui,
Stramineamq; casam gramineumq; thorum.
Si fuit una mihi per frigora vestis, & æstus:
Non aliam volui pro tria lustra togam.

Sed mea cum votis nunc eſt mutata voluntas,
Nec ſum iudicij nunc ego: cuius eram.
Erraui, & cæcam texerunt nubila mentem,
Nil in me ſenſus, nil rationis erat.
Hoc facit, vt ſpernat: facit hoc, contemnat ut amens
Hoc facit inſanum, quilibet eſſe putet.
Hoc facit: ut mecum nullus commertia iungat.
Et viſo fiat multa repente fuga.
Peſtiferi tanquam vitet contagia morbi:
Sic hic e media, ſic fugit ille via.
In promptu ratio eſt: quod nulli pauper ametur,
Damnoſum ſtultus ſi quis amabit, erit.
Pauper amicitia cuiquam ſi forte cohæſit:
A ſocio cæpit, non dedit ipſe bona.
Quilibet articulis, hoc quod conducat, & illud:
Computat, & ducta quod ratione ferat.
Nullus amicitiam, quæ non eſt vtilis, optat,
Nec, bona Virtutis quæ volet, vllus erit.
Quis volet ingenium ſibi pro mercede referri:
In quo ſit fumus vanus, & aura leuis?
Laudatur Virtus, & non admittitur ulli,
Mendicat roſos, ut canis ægra cibos.
Sed colitur pretium; colitur, quod præmia reddit,
Omnis profructu ſtatq;, caditq; decor.
Diligitur nullus, nulli redduntur honores:
Si non inſano fænore vexet opes.
Qui ſapit acquirat lati ſibi iugera campi,
Fuluaq; ſollicita congerat æra manu.
Ne timeas, ſi ſis diues, graſſator haberi:
Templaq; ne timeas, & ſpoliare deos.

Omne

Omne ſcelus nummis operitur, pallia late
Diuitiæ pandunt, & bene quemq; tegunt.
Cæcus erat: quoniam ſit diues: lumen habebat,
Stultus erat, numero cum ſapiente fuit.
Sydera dat cenſus, cenſus ſuper ardua cœli;
Tendimus, & ſuperis accubuiſſe facit.
Dij largitores, & Iuno, & Plute bonorum,
Alcide, & peperit quam pia Maia Ioui.
Si licet, & fas eſt, & ſi res digna videtur,
Annuite, & mentis ſumite vota meæ.
Si ſerus venio ſupplex, ſeruſq; rogator:
Hæc (rogo), ne precibus cauſa ſit una nocens.
Aſpicitis quantis, & quot ſim cladibus actus,
Me mala vos moueat, tantaq;, totq; pati.
Aurea ferte (precor) nummiſq; arrumpite veſtem,
Ferteq;, quas faciles ferre poteſtis opes.
Protinus à nobis dolor hic procul ibit, & angor,
Triſtitiæ capient gaudia læta locum.
Hei mihi, quod ſurdi ſunt ad mea vota, nec ullis
Signa dedit flammis, qui tepet igne, focus.
Vnum eſſe in ſuperis uitium ſed grande notaui:
Quod mala dant faciles, difficileſq; bona.

AD FRANCISCAM.

FRanciſca Aonidum nulli ceſſura ſororum
Exule, te nudam rumor it eſſe viro.
Te quoq; ne quicquam tutum foret: improba læſit
Fortuna, & ſentis quid valet ira Iouis.
Quid facis? An aliquid condis; quo triſtia fata,
Et morſus animi, triſtitiamq; leues.

An legis hoc illud, diuersa poemata Vatum?
Verbaq; das animo desidiosa tuo?
Pensa manu traheres, vel pectine lina parares,
Aut telæ instantes, si foret illa rudis.
Hoc aliæ faciant, tu versibus vtere dote
Donarunt faciles, te meliore dei.
Diues es ingenio, rapiat tibi cætera quamuis
Casus: in hoc iuris, nil habet ille bono.
Extra fortunam laurusq; hederæq; locantur
Formidet Pinus tela trisulca Iouis.
Alcinous timeat, timeant & Atlantides hortis,
Nulla rapi noster poma timebit ager.
Sed facile est istis castum seruare pudorem
Moribus, ingenij qui bonitate valent.
Quod tibi sit pectus teneris cognouimus annis,
Cum tibi sub sancta Matre Magister eram.
Excolui primus, primusq; ad grammata duxi:
Cum tua palladias dextra teneret acus.
Tam mihi Virginitas casto fuit ista pudori:
Quam Matri fuerat, quam fueratq; Patri.
Tempore sic illo memini quod amare solebas:
Diceret: vt menti cura suprema tuæ.
An vero tempus: quod cætera proterit: illum
Abstulit, & non sum carus; ut ante fui?
An dolor, & casus cunctas à pectore curas
Diluit, & curis pars ego iuncta fui?
Non semper torrens subitus rapit omnia secum,
Si qua fuit moles fixa, resistit aquis.
Quæ bene non hærent; uento quassata, uel imbre
Poma cadunt ramis, cætera firma sedent.

Quodq;

Quodq; ſuum fuerat, non amiſiſſe Maritum,
Quod fuit alterius, reſtituiſſe putes.
Regnum Fortunæ bona ſunt, accommodat illud:
Cum libet, & reuocat, cum libet, illa datum.
Mox tibi, ſi ſteterit pro libertate, redibit:
Nam ſolet iſtius res leuis eſſe loci.
Et decies iſtic uno, vel ſæpius anno
Fortunam vidi ludere ſorte ſua.
Si micat interea pauida formidine pectus:
Excute: nam fortes fulmen ab aure mouet.
Et meliora tua tacita ſub mente voluta:
Nam bona ſæpe ſolent proxima ſtare malis.
Et quicquid profugo ſperauit Nupta Camillo:
Hoc etiam ſperes affore Nupta tuo.

AD STEPHANVM. A.

HOc tibi ſollicitus paraui carmen Aquine
Inter Sarcinulas, præcipitemq; viam.
Non potui longis committere ſcripta tabellis,
Et breuis officio contigit ora meo.
An ſedet hoc illud, quondam quod mente ſedebat?
Et tuus eſt animus certus, ut ante fuit?
An tu: quod nolim: nunc es mutatus ab illo?
Et tua propoſitum non premit illa Fides?
Hoc mihi non vnquam poſſum ſuadere, timendo
Mens labat, & dubium me facit ipſe timor.
In te ſollicitus curam, mentemq; locaui
Et tibi ſunt vitæ tradita Vela meæ.
Quælibet immenſo lux eſt mihi longior anno,
Longior eſt omni quælibet hora die.

Aptum

Aptum non vnquam mihi tempus adeſſe videtur;
  Itala quo fugiam Regna, Deoſq; meos.
Si patet æquor: erit fuga noſtra parata per æquor,
  Effugiam terra: ſi mihi terra patet.
Per Mare, per terras præcluſerat omnia Minos,
  Æthereas egit Dedalus arte vias.
In me non adeo pellis durata rigeſcit:
  Vt non erumpar, diſcutiarq; cute.
Quis ſufferre togæ poſſet faſtidia vanæ:
  In qua Virtutes, & bona ſumma locant?
Hic me deſpiciet, hinc ronca nare notabit:
  Qui modo mutabat ſalſa, garumq; putre?
Hic: modo qui Cererem nigra fornace coquebat:
  Sub ſolio miſerum, ſub pedibuſq; teret?
Vnus non alio eſt melior, lege lumine clauſo,
  Sunt omnes vitijs criminibuſq; pares.
Si bonus eſt aliquis, iacet ultimus, ut pecus vna,
  A mille ignotum per nemus acta lupis.
Si quis dixiſſet, da tu quoq; lintea ventis:
  Dixiſſem ſanus, quod foret ille parum.
Et prius emoriar, quam ſint mea ſęcula vitæ
  Apta meæ, curæ conueniantq; meæ.
Si mihi de cunctis eſſet conceſſa poteſtas:
  Mors ſubito cunctis una parata foret.
Conuenio nulli, nullus mihi conuenit, & ſum
  Omnibus his concors: ſic velut ignis aquæ.
Mente cadunt omnes, ſapio mihi ſolus, & unus,
  Aut omnes ſapiunt, aut ego mente cado.
Quicquid id eſt, fugiam. Fugiamus, & altera terra
  Accipiat; ſedes altera terra dabit.

Quando

Quando maris littus, Venerisq; Ancona petemus,
  Et feriet lecto fune Celeuma Deos?
Quando simul facili sulcabimus æquora remo,
  Et dabimus ventis vela secunda suis?
Quando Itali incipient velut euanescere colles,
  Et bizantinum se se aperire solum?
Oscula quæ figam primæ nouus hospes arenæ?
  Qua saluere nouos voce iubebo Deos?
Hoc si contingit, finem mea vota videbunt,
  Nil, desiderium quod sibi poscat, erit.
Exime, cum poteris, mox, si potes, exime curis,
  O finem optatis quando videbo meis?
Luca Deum sedes Bacco sacrata bicorni
  Me tenet, & tempus cum venit, inde voca.

AD SALVECTVM.

SI poteris Saluecte tuum concede galerum,
  Et mihi, si poteris, per breue tempus equum.
Rura petam, si forte meo dare uerba dolori,
  Si possim curas tollere corde graues.
Fabula non hæc est, sensi, uidiq; Puellam
  Hei mihi riualem plus redamare meum.
Ocia disperdam multas distincta per artes,
  Inq; mea uarium mente sedebit opus.
Omnia tentabo, quo me mihi fallere possim,
  Omnia, quo mihi sim decipiendus, agam.
Sæpe manu rastros summam, longosq; ligones,
  Et ducam domitos sub iuga panda boues.
Semina iactabo longis cerealia sulcis,
  Et teneras vites, & noua poma feram.

Insitio per me compacta cortice fiet,
Inq; alia fœtus arbore ramus aget.
Nunc segetes curua maturas falce secabo,
Succidamq; vuas, & pede musta premam.
Et modo poma legam gelido seruanda Decembri,
Et modo brumali ligna parabo foco.
Vimine nunc caueas, nunc cistas vimine texam,
Nunc dempto tenues ventre cauabo scyphos.
Et discam numerare pecus, numerare capellas,
Vberaq; ad mulctram ducere plena manu.
Fiscellam premam spumantem lacte coacto:
Musteus vt constet caseus orbe suo.
Sectabor Lepores per plana per ardua Damas.
Mille per insidias impedientur aues.
Eq; lacu nitidos ducam per retia pisces,
Anguillæ intendent æra recurua cibos.
Subiecto interdum turbato examine fumo
Eliciam structis condita mella fauis.
Nunc ducam lentos per prata virentia passus
Intexens facili florea serta manu.
Sæpe mihi ad leni labentes murmure riuos,
Præbebit mollem gramen, & vmbra thorum.
Hic gemitus turtur, gemitus dabit inde palumbus,
Perq; suum taurus mugiet ore nemus.
Illinc porrectus longo modulabitur antro
Pastor, & ad gramen carmine ducet oues.
Et mecum rediens serus cantabit arator,
Ibunt suspensis passibus ante boues.
Villica disponet verubus quod coxit, & ære:
Spumabunt largo grandia vasa mero.

Ordine non vllo ponetur mensa, nec arte.
Prima feret: quicquid ferre secunda potest.
Quod stabulo, sylua, stagno, agro, turre creatur.
Illic, nec referam singula longus, erit.

IRRISIO. GENTILIVM DEORVM.

IN Cœlo quid sit, tenui qui mente requirunt:
Nil præter nudos inuenit esse Deos.
Hos quoq; raptores, & aduncis vnguibus omnes:
Quos damna, & raptus, fœdaq; furta iuuant.
Quatuor hæc gignunt mare, tellus, ignis, & aer:
Alterna cum se sorte renata nouant.
Hæc supra nihil est, nisi quæ tenuissima nullo
Corpore, non poterant sub grauitate premi.
Quo magis excedunt, tanto minus illa videntur,
Et non inuentum finis acumen habent.
Insanit, cantus illic, qui sperat amœnos:
Nam vox, si tollas aera, nulla sonat.
Illic non sonitus fixo sentitur ab axe:
Omnia quo semper se sine voce rotant.
Si non putrescunt, nec corrumpuntur in vnum:
Nil vnquam, æterno sint licet orbe, creant.
Omnia quæ ratio sic hæc distinxerit, audi,
Non alio poterant omnia stare modo.
Terra grauis media est, motu non mobilis ullo,
Si primum stabit mobile, mota cadet.
Cætera sed quanto fuerint leuiora, recedunt,
Et sic, ut punctum credat habere solum.
Extremus vitij, liceat si vera fateri,
Virtutis medium dicitur esse locus.

Inſpice Saturnus quot perdat, & occupet vnus,
Inſpice quot Tellus det, foueatq; Viros.
Quod ſi non radijs mitem te Iuppiter illis
Opponat, rebus mors foret vna breuis.
O bene, qui ſimilem Mundum monſtrauerat ouo,
O bene, qui ſimilem dixerat eſſe nuci.
Terra parit ſegetes, & poma colentibus illam,
Mellaq; cum vino dulcia terra parit.
Omnia ne memorem, tot ſunt tellure creati:
Quot nunc in cœlo credimus eſſe Deos.
Illinc tempeſtas, & duræ grandinis imber
Decidit, & fœtos depopulatur agros.
Illinc & lapides veniunt, guttæq; cruoris,
Et fata, quas vidi dente ſecare feræ.
Vtile viderunt, quod mel, & lana pluebat.
Ne magis hæc pluerent conſtituere Dei.
Illinc interdum ſic flammis Sirius ardet:
In primis herbis, ut cadat uſta ſeges.
Illinc inſani mittuntur Fulminis ignes,
Tectaq; cum domino ſæpe cremata iacent.
Quis ſtygias ſonitum ſummi ſimulator Olympi,
Quis te Thebarum Rector adegit aquas?
Quis tibi caucaſea Vulcane Promethea rupe
Deſertum rapidæ iungere iuſſit aui?
Vixiſſet Phaeton, & cum Phaetonte ſorores:
Excuſſus ſi non eſſet ab axe Patris.
Non mirantur Hylam Nymphas rapuiſſe: iacere
Qui norunt rapto cum Ganymede Iouem.
Qui damnant Bacchum Cœlo impoſuiſſe coronam:
Non hunc viderunt impoſuiſſe feram.

Hic

Hic quoq; ſi violat, Genitor quam turre vel ære
Detinuit, nulli ſit violare pudor.
His tamen immemores cum Libis, Thure, Meroq;
Sacra damus, facimus milleq; templa locis.

V E N A T I O.

Arma citi, ſimul arma omnes, arma parate,
Retiaq;, & cornu mille citate canes.
Ceruorum mandras ſyluis mihi villicuſore
Nuper anhelanti dixit ineſſe meis.
Effer equum, & iaculum cum longo Poſtume telo
Promptior hinc, illinc enſis, & arcus eat.
Siſq; meo lateri præſto, nec longius abſis,
Et quocunq; aciem flexero, lumen habe.
Vos duo ſplendenti celeres præcedite ferro,
Sternite, ne ſæpes, foſſa ve tardet iter.
Tuq; domi Corrade para: quæcunq; parari
Iuſſimus, & nulla ſint ea facta mora.
Line petas collem, ſyluas quam plurimus urget.
Ex illo nobis vertice ſigna dato.
Et modo fac fumum, quatiat modo pertica fœnum,
Nunc unam moueas, nunc & utranq; manum.
Tu valles centum canibus Graſſane ſupremas,
Tu primas totidem claudere Cylle para.
Retia diſpoſitis cuſtodi Burre moloſis,
Elige quot palis ſcis opus eſſe viros.
Mactare annoſos, teneros ſeruare memento,
Lac quibus in ſeptis noſtra Capella dabit.
Cornua ſublimi curſu refer ardua, ſtabunt
Fixa ſub excelſis poſtibus illa meis.

Tu Baccille plagas, nodosaq; tendito lina,
Quamq; soles Apris, altius illa loca.
Illinc & sæpes, hinc cæcas obstrue fossas,
Hinc casses, illinc lenta capistra iace.
Quiq; bonos regitis latratu, & naribus, altos
Ducite per saltus, cœcaq; lustra canes.
At vos qui faciles pedibus, cursuq; tenetis:
Libera dimotis ire per ardua rubis.
Ora canum, si qui fallent, & retia cerui:
Non fugiet tacto flumine turba manum.
Sæpeq; per densas retinentur cornua Syluas,
Et quæ debuerant arma iuuare, nocent.
Sed iam vota Deis Phœbo, Phœbiq; Sorori
Sunt facienda. Sacris quisq; fauete pijs.
Dij, quibus est nemorum ius, & ius omne ferarum:
Qui Venatori ferre soletis opem:
Annuite optatis, operiq; assistite nostro,
Et sic, ut votis, sors eat æqua meis.
Phœbe tibi sicco manibus cratera duabus
Spumantem, rursus sicco Diana tibi.
Mox etiam ceruus cadet, & cadet hostia cerua,
Pinguior in nostris non erit ulla plagis.
Aspicite, ut medijs surgant altaribus ignes,
Et micet e tepido flamma trisulca foco.
Audimur, facilesq; aures pia Nmina præbent,
Non hæc in vanum cura, laborq; cadit.
Præbebit lætam fœlix uictoria palmam,
Vix ullus capiet gaudia nostra locus.
Ite bonis auibus fœlicia castra mouete,
Et manibus prædam quisq; tenere putet.

Ite triumphales præcingite tempora lauro,
Non expectati temporis omen eat.
Vah quales acies ſub me ductore coruſcant
Vah quanto ſurgit puluis in aſtra globo.

AD ELEGOS.

INbelles Elegi, laſciuaq; carmina Vati
Parcite, ſi videor dignus habere Rudem.
Arma diu moui molles agitantia luſus.
Iuit & in noſtras plurima palma manus.
Iam cecini, quantum nullum ceciniſſe videris,
Et ſolito maius pagina ſtruxit opus.
Quoq; magis creſcit, creſcunt, & damna papyri,
Heu quoties Oleum ſicca lucerna petit?
Auditor, lectorq; meus de fine queruntur,
Et poſito fugiunt laſſus vterq; libro.
Illeq; non lecto, nec viſo carmine dixit,
Inſanum quis te ſtulte Poeta leget.
Omne iuuat rarum, nimium faſtidia ſentit,
Inq; ſuum damnum copia larga venit.
In modicis pretium eſt, pretioq; petetur auaro:
Si roſa brumali tempore viſa fuit.
Pſitacus in terris qui rarus, & vnicus erret
Phœnix, auſonias anteferuntur aues.
Siſte Liber calamum, finemq; impone labori,
Ipſa quies partes poſcit habere ſuas.
Si nunquam ceſſant duram proſcindere terram:
Curua mori cernes inter aratra boues.
Venimus ad metas, & quo me curſus agebat
Iam defrenatus lora remiſit æquus.

Et mea iam rediens dimenſa per æquora puppis
Feſſa ſubit portus, & ſibi ſerta petit.
Serta petit Vates, ſertis incingite Vatem,
Et decies circum tempora Laurus eat.
Finit opus, quod non poterit delere vetuſtas.
Ignis cum multa non abolebit aqua.
Mœnia deficient cum turribus ardua ſummis:
Quæ labor inſanus, ſtultaq; turba facit.
Charta leuis ſtabit nullo violabilis æuo,
Et mea non ullo tempore ſcripta cadent.
Sera ſit illa dies, ſed cum ſuprema vocabit:
Orbe tamen toto poſt mea fata legat.
Viue Liber fœlix, noſtrumq; per omnia Nomen
Ereptum flammis ſæcula ſemper habet:

FINIS
PACIFICVS.

Iam ſatis ſuperq; luſit Libellus. At ſi quid in hoc aliiſue in legem Dei eſt: non teneo: Sancta Maria miſerere mei

Impreſſum Florentiæ Anno gratiæ 1489. *Idibus Nouemb. per Antonium Miſcbominum.*

PACIFICVS MAXIMVS POETA ASCVLANVS IOANNI FATALI SALVALIO.

SAlue bellorum terror, fulgurq; ſuperbum:
Cui Bellona facem tribuit, telumq; trabale.
Iamq; diu pecudum fibris auiumq; volatu
Agnouere diem Vates, quo incognitus vlli
Agricola inſurget, qui bello fortis, & auro
Inſtruet æratas acies, populoſq; Tyrannis
Eximet, & ſolus toti dominabitur orbi.
Nulla hunc fulminei quaſſabit machina belli,
Pectora nuda dabit telis, nec pectora miſſa
Tela petent, nullo violabitur ille veneno.
Sæpeq; Calcantem fertur dixiſſe: Superba
Arx tarpeia ruet, cadet, & Mauortis origo,
Et nunquam emerget, niſi cum verſabit aratro
Auratas glebas, ignotaq; ſata colonus.
Sic & Apollineo cecinere oracula templo.
Tempus erit, quo cuncta ruent, præſſuſq; iacebit
Quiſq; bonus, pœnaſq; dabit miſerabilis inſons
Crimen erit Virtus, & nullo in crimine labi,
Quanto erit in ſcelere, aut in crimine maior iniquus:
Tanto hic imperium capiet, ſolioq; ſedebit.

Bella

Bella Parens Natis, & Nati bella Parenti
Conſtituent, cariſq; inſurgent Vrbibus Vrbes.
Conſtruet inſidias Regi Rex alter amico
Non Socius ſocio tutus, nec amata voluptas
Et longam ſeruare fidem, pactumq; valebit.
Iam Chaos orbis erit, iam nulla à Lege vehetur
Axis ad occaſum nec Sol contrarius ibit.
Tunc quo non alter pacis, nec amantior æqui,
Veniet & forti dextra, Virgaq; potenti
E, media tellure petet, quas ipſa ſubimis
Viſceribus contexit opes; Enotria Regna
Non ſinet elabi, Saturno regna fugato
Reddet, & auratæ reuocabit ſæcula vitæ.
Fata Themis cecinit ſaxo ſacrata bicorni
Texit opes tellus, cum mundum texerat vnda?
Quas bonus effodiet meſſor, populoſq; labantes
Curabit refouere pius, ferroq; nocentes
Comprimet, & toto regnabit ſolus in orbe.
Hoc erit, effuſi cum Patris ſanguine Natus,
Et Pater effuſi gaudebit ſanguine Nati,
Cum materna ferus diſtringet pectora ferro
Filius, & poterit Matrem ſpectare cadentem,
Cumq; cadet Frater fraterno foſſus ab enſe,
Vxoris dextra cum vir cadet, illa mariti.
Eſſe quoq; in fatis dixit Caſſandra futuris:
Qui Maris, terræ compeſcet iura, colonum.
Talia diuino cumAntheſilea furore
Lapſa foret dixit, ruet hoc, iterumq; reſurget
Romanum imperium, tenebras cum Paſtor opacas
Laxabit Mauorte fero, belloq; refectas.

Sic

Sic Medea ſuis cantatis nouit in herbis.
Defunctumq; loqui ſic corpus nouit Erichtho.
Hoc: quoſcumq; Deus furijs incendit, & urget:
Senſerunt, non hoc ſacræ tacuere Sybillæ.
O Superi, Diuiq; pij; tu ne ille: cadenti
Quem Deus humano generi præfecit, & orbi?
Tu ne ille? ò Latium quantum te Fata benignis
Conſpexere oculis, quæ non ſunt paſſa ſupremo
Supplicio euerti, ſed tanto obſtare dolori
Extremo voluere tuo, miſeræq; ruinæ
Quid ſuperſt, qui cuncta ruant, quid reſtat, vt orbis
Effracta compage cadat, repetatq; profundum,
Antiquumq; Chaos, tenebroſi, & cæca baratri?
Nunc hieme ardentes patimur ſudoribus æſtus;
Nunc gelidas æſtate niues, modo ſegnius undis
Mergere miramur, citius modo ſurgere Phœbum.
Friget ſæpe Leo. Fit Piſcis ſæpe tepeſcens.
Arida fit ſerpens, nimioq; exeſtuat igne.
Dum calet: inuetitum conuertere ſæpe Bootes
Conatur fruſtra Plauſtrum, & contigere Pontum.
Nunc primum glacies videt emolleſcere Sole
Caucaſus oppoſito, Scythiamq; caloribus vſtam.
Sæpe etiam non dum coniunctis cornibus orbem
Innouat, & proprio Phœbe non orbe reuoluit.
Sanguineus quoties (nec Luna fit obuia) Frater
Manſit, & obſcuros induta eſt ipſa colores:
Quamuis nulla iubar teneat contraria Tellus
Quamuis nec caput hos teneat, nec cauda Draconis?
Humanum ſtupet omne genus, ſtatq; omine mutum
Num globus antiquos longę vertiginis axes,

Iunxit, & extremas Fatum nunc texuit horas?
Quæ non dira ſedent Cœlo portenta ſiniſtro?
Quæ non ſigna iubent mundi luctabile tempus?
Cum ſene Falcifero multo truculentior aſtris
Oppreſſis, toto feruescit in æthere Mauors.
Illorum non alma Venus, non Iuppiter iras
Temperat, infeſtos nulliſq; retardat habenis.
Luridus occuluit nigro velamine vultus
Lucifer, & nymbis armatus ſæuit Orion.
Vndiq; nunc ardet proiecto crine Cometes
Flammiger, & ſtellas maiori lumine fallit.
Mille faces vidi medio incandeſcere Cœlo.
Sanguineaſq; graui commixtas grandine guttas
Obſtupui maculaſſe ſolum. Brumalia turres
Fulgura præruptas feriunt, rauciq; tubarum
Æthere clangores, & diro ſibila cantu
Captantur, verſuq; exturbat culmina Bubo
Luctiſono, exululantq; Lupi, latrantq; Caneſq;
Eumenides diuerſa ruunt, crineſq; repectunt
Vnguibus, & diri ſinuantur in Vrbibus angues.
Corcordes vno diſcurrunt flamine venti,
Cumq; feris rapiunt ſyluas, arceſq; ſuperbas,
Ingentes Vrbes primo e fundamine vertunt,
Templaq; cum Sacris ſternunt, homineſq; Deoſq;
Sub terram Boreas per rimas intrat opacas,
Supponitq; ſolo tergum, atq; tremoribus orbem
Succutit, & damno ſupremo mœnia quaſſat.
Extincti iacuere Deæ Veſtalis in ara
Ignes, & flumen lachrymarum marmora fundunt.
Attonituſq; ſilet Vates, pecus omine diro

Inter opus moritur, nec cultrum ſanguine tingit.
Peſtis vbiq; furit nulla medicabilis arte.
Nec fugiſſe iuuat latebraſq; habitaſſe ferarum.
Non locus eſt vacuus morbo, iacet vndiq; vulgus
Proſtratum; non eſt, qui corpora ponat in igne.
Deq; rogo pugnant, tanta eſt inſania mortis.
Feruet acerba fames, ſpes ponitur irrita ſulco.
Et nulla in campis ſubiecta falce ſecantur
Semina, nulla graui ducuntur ab arbore poma.
Cum pecore humanum raris genus errat in herbis.
Concidit omne pecus, nullius graminis herbæ
Naſcuntur, nullos ſubeunt animalia caſſes.
O ſcelus in Natos audent ſæuire Parentes,
Certatimq; artus (rabies ſtat tanta furoris)
Dilaniant, pueroſq; ſuos in viſcera condunt.
Hæc retinet dextram Nati, tenet illa ſiniſtram.
Mox etiam proprios diuellunt dentibus artus.
Vndiq; bella mouet Mauors, bella undique bella
Vndique crudeſcunt, non eſt locus unus in orbe:
Sanguine qui careat, mors eſt quocunque fugamur.
Exitiumque homini ſemper lethale paratur.
Italia innumeris diſcordi pectore caſtris.
Inſurgit, non hæc Gallis, ſęuiſq; Brittannis
Arma parat, latiale petit ſibi quiſq; Tyrannus
Imperium, & Regni latos extendere fines.
Ducere nemo ſuo vitam, ſed viuere rapto
Quiſq; cupit, ſemperq; nouas adiungere prædas.
Pax iacet oppreſſa, & terras Aſtrea reliquit
Virgo. Nulla fidem diſſoluere dextra recuſat.
Coniunctæ ſua pacta Vrbes, & fœdera rumpunt,

Inq. vicem muros pandunt, & tecta rotato
Igne cremant, funduntq. alterno vulnere vitam,
Contiguæq. domus concurrunt cominus armis.
Nulla casa est culmo, aut ulua contexta palustri,
Aut modico nigrata foco, quæ prælia tardet.
Impia confuso secum immiscere tumultu.
Vbera forte Parens, cum natum ad plena vocaret
Sic prætenta ferus petijt puer vbera ferro.
Cumq. venire Pater natum ad præcepta iuberet:
Filius heu gladium condit sub pectore Patris,
Gentis Iuleæ Regum clarissima proles
Interijt, stipesq. vnus non extat ab alto.
Flenda iacet penitus, penitus nunc culmine Roma:
Quid scelera enumero. Multo grauiora supersunt
In tantis lugenda malis. Non crimina possum
Multa breui numerare loco. Sunt omnia triste
Collapsa in facinus; nunc finis in orbe videtur
Vltimus; in nulla spes est ponenda salute.
Sed solet extremis semper succedere damnis
Auxilium, & primis contraria surgere Fata.
Non hilaris Fortuna diu, nec tempore tristis
Esse solet longo, sed semper læta sinistris
Pensat, & in rebus, numquam stat certa secundis.
Promittunt hæc damna bonum; confidere tempus
Hoc iubet; & vitam ostentant hæc astra serenam.
Tu nunquam venturus eras, nisi debita terris
Soluissent hæc Fata prius. Spes vnica mundi,
Spes optata diu, spes sola, & certa salutis
Venisti? O quantum Superis hæc tempora debent,
Æternoq; Patri Superum, quid gratius vnquam

Saluallo tribuere Dei? quid ſanctius illo
Eſſe valet? melius ceſſerunt Fata petitis.
Effugite, ò quibus eſt ſceleris permiſſa poteſtas,
Et timidos damnare bonos, & iungere pœnas.
Effugite, ò miſeri, telluſq; orate baratrum
Pandat, & obſcuro demergite membra profundo:
Qui niſi de rapto, niſi qui de ſanguine egeno
Viuitis, & Sacris ſpoliatis Templa Deorum.
En venit ſuprema dies, & triſte malorum
Supplicium, & diros qui caſtigabit iniquos.
Gaudebit iam quiſq; bonus, qui pura Tyrannis
Colla premenda dabat, qui iniuſtas carcere pœnas
Pendebat, cenſu qui ſe redimebat auaro.
Virtus ſumma petet, cœcoq; iacebit aceruo
Crimen, & emeritam ſpectabit culpa ruinam.
Gaudeo Roma potens; ſurgent tua mœnia, & alta
Reddetur tarpeia Ioui, populoſq; videbis
Per mare, per terras diffuſa lege potentes.
Cæſar adeſt, qui cuncta reget, manibuſq; reuellet
Impia regna feris, & libertate reponet.
Nuſquam Queſtor erit, non reſta onerata vehetur
Multo auro. Æternum: quod quiſq; parabit: habebit.
Donaq; multa dabit, ſparget ſua munera dextra
Larga, nulla modum cohibebit cura beatum.
Quid ve iuuat ſtruxiſſe arces, moleſq; ſuperbas,
Et vallo cinxiſſe Vrbes, foſſaq; profunda?
Quid facitis? cogit quæ mens inſana Tyranni
Scindere per partes orbem: quando omnia Fatum
Saluallj Imperio ſine limite deſtinat ullo.
Turce quid Italiam affectas, Romamq; ſuperbam,

Quoue

Quoue acies, & castra trahis, quo pergis Amyrrha?
Ausoniæ indomitas vires, populosq; feroces
Nescis? hah nescis fatalis munera operta
Salualij bello inuicti, mauortiaque antra?
Effuge quid certam properas exposcere mortem?
Hic est, qui debet medio te euertere campo,
Quiq; tuas ferro violentas comprimet iras.
O melius, nunquam si te Florentia captum
Tentasset torquere furens. Cognoscere dirum
Prodigium potuit, cum nullus funis ab ipso
Te valuit remouere salo, nulliq. dolores
Te premerent, nullusq; tenax te carcer haberet.
Sed nisi quam mitis, nisi quam gratissimus ipse es:
Spectasset flores tristis Florentia siccos.
Et nunc cerbereo commixto melle veneno
Perdere, mille truces mortes tamen effugis unus.
Quas altus Pindus, quas Pindo maior Olympus
Cumq; Othry ornifero, quas Ossa, & Pelion herbas
In nocuis genuere iugis, quas flumen Enipheus,
Apidanusq; senex, non hæc tua Fata nouare,
Vitalesq; auras diuellere pectore possent.
Tu bene per libycos maculatos anguibus agros
Ire potes, conspecta tibi Phorcynidos ora
Non nocitura forent, media si nocte bibisses
Archadiæ fontem, non limpha exausta noceret.
Vince Deos & signa Deum, quando omnia subsunt
Pressa tibi, nutuq; tuo, iam cuncta reguntur.
Iam genus humanum tibi se debere fatetur.
Tu iubeas, nullus iussis parere recusat.
Omnia solus eris, solus dominaris in orbe.

Cum

Cum socio non Regna tenes, concurrere castra
Nulla vides, Mauors soli tibi cedit in armis.
Aegida dat Pallas, tibi dat Cyllenius harpen,
Gorgoneumq; caput Perseus, fontemq; Sorores
Virgineum, herculeas contemnit dextera vires
Hæc tua. Non ullo est pectus penetrabile ferro.
In te frustra arcus contenti spicula mittunt.
In te etiam frustra tortum balearica plumbum
Funda iacit, telum clypeum si rumpit & arma:
Pectore contacto vibratum amittit acumen.
Si tales valido gessisset corpore Cœneus
Et Cycnus vires, non hunc strauisset Achilles,
Illius in multas non isset spiritus ornos.
Si tali Anthæus fato venisset ad auras,
Alcidesq; ferox, non esset ab Hercule victus
Ille, nec hic esset Nexea fraude crematus.
Tuq; Atlantei rutilantia poma Draconis
Ante oculos raperes, nullo medicamine victos
Æripedes fuluo spoliares vellere Tauros.
Postquam grata loco posuit Fortuna tumenti,
Effecitq; parem Superis, voluitq; præesse
Gentibus, atq; orbi, legesq; imponere mundo,
Et frenare malos, opibusq; augere benignos:
Ne mora te teneat. Quid spectas omnia labi?
Adde manus operi. Subitum te accinge saluti
Humani generis, propioriq; aspice vultu
Res Italas bello oppressas, famaq; cadentes
Expedias quodcunq; paras. Vade incute montem.
Ne cesses; tenebras tellus tibi pandet opacas,
Et certum præbebit iter, non Virgo negabit

Omne

Omne aurum gemmasq. suas. Posce; omnia plenum
Implebunt gremium : quod non vacuabitur ullo
Tempore : quoue magis tribues crebrescet in illo.
Arua Midæ liceat manibus contacta nitescant,
Et Tagus in rutila flauescat diues arena,
Lætaq. sit Danaæ pluuio, quod defuit, auro:
Talibus hi nunquam possunt se æquare cauernis.
Subde caput latebris, aurumq. effunde sub auras,
Et pone inuictus medio tentoria campo:
Sub quibus innumeræ gentes, & lata tuorum
Castra ducum obsideant Vrbes. Efferq. ferocem
Quadrupedem, quem nulla manus, nec lancea vertet:
Qui cunctis semper se se præbebit in aruis
Victorem, & læto semper remeabit honore.
Magna velis, quam magna potes, pete quicquid in orbe est
Et Maria, & terras, sine nil ditione teneri.
Æternumq; velis domino tibi cuncta subesse,
Imperiumq; tuum finis non terminet ullus,
Vltimus, aut tandem regni sit finis in astris.
Scilicet est aliquid mundum domuisse triformem
Non tamen hoc satis est, soluit quando omnia tempus
Annosum, & longos decrescit fama per annos.
Fac vigeat quodcunq; facis, nec tempus, & ætas
Consumat longæua, tua sine laude vetustas
Nulla sit, & semper memoret, discatq; futurum
Bella, & facta genus, nullo moriaris in æuo.
Æternum, viuumq; diu te sæcula narrent
Omnia; nulla tuam videat mors vltima vitam.
Carmine fama viret, fama est sine carmine nulla,
Morte caret carmen, nec tempore deperit ullo:

Omnia si delent, non delent sæcula carmen.
Viuit Alexander, viuit Menelaus, & Ector,
Viuit & Eneas, & fortis viuit Achilles:
Donec opus stabit Vatum, qua Pergama flamma,
Et qua Phœbeæ Thebæ cecidere ruina:
Scimus enim, donec stabunt monumenta Poetæ.
Terrarum Vates omni de parte vocabis:
Quorum lenta sacrum spirant præcordia Phœbum.
Hi tua castra canent, hi te, & tua facta notabunt,
Victricesq; acies, & quæ te sydera in auras
Eduxere leues, quæ sors, & Fata cauernas
Applicuere cauas, gemmasq; ut nactus, & aurum:
Si quid musa valet, si quid mea carmina possunt:
Carmina te nunquam, nunquam te Musa tacebit.
Omnia tu bello subdas, ego carmine ducam
Æternum, quodcunq; facis, non gloria segni
Carmine mandetur, surgent mea plectra tonanti,
Altisonaq; tuba. Mare te memorabit utrunq;
Venturi nos ambo legent, celebresq; canemur
Inuita nos morte duo, memorare iuuentæ
Gaudebunt tua facta Senes. Sis lætus, & omni
Laude vehat Fortuna potens, sint omnia vitæ
Tempora grata tuæ, & votum tua Fata secundent.

FINIS

PACIFICVS MAXIMVS ASCVLANVS.

ORATIO PACIFICI MAXIMI ASCVLANI

HABITA IN SENATV LVCENSI

IN VEXILORVM ASSIGNATIONE.

NOn leue meis humeris onus M.D. & amplissimi Patres substinere perspicio, qui suggestum hunc, & ad dicendum, & ad concionandum ornatissimum conscendi: scio enim opinioni, quam de me contraxistis; respondere non posse. Quæ namq; in me dicendi copia, quæ rerum notitia, & gestorum argumenta esse possunt; qui nuper nudus, & peregrinus, & nouus accessi? Mores equidem, & leges, & consuetudines rescire breui non potui. Volui tamen huic officio potius obsequentem me liberali, quam dura fronte renitentem præbere; maluiq; temeritatis accusari, & audaciæ, quam laboris, & imperij declinasse munus hoc videri: Quare cum de rebus; quibus Respublicæ progagentur, recteq; administrentur, & liberæ consistant: dicendi cupido incesserit: complecti cuncta, ut mihi difficile, & laboriosum: sic & vobis importunum, & tediosum foret. Cogitanti tamen quid potius perstringerem; occurrit vis præpotens, & lata ubertas Iustitiæ, qua nil sanctius, diuiniusq; mortalibus faciles Superi concessere: sine qua Vrbes, Imperia, & Hominum cœtus regi, ac tueri se non possunt. Ex hoc lympidissimo fonte omnis Religio, Pietas, concordia, humanitas, amor, & amicitia erumpunt; defluunt & aliæ virtutes innumerabiles: quibus

res

Respublicæ recte riteq; gubernantur; Imperia fines extendunt, terminosq; suos longe designt, coalescunt Ciuitates, concordi administratione se Ciues gerunt, virtutes prēmijs afficiuntur, vitia, & scelera supplicijs cohercentur, extolluntur boni, deprimuntur iniquorum rapinæ, furta, incesta seuerissime vindicantur; Religio, sanctitas, pax, tranquillitas, & facilitas omnis exultat, bona publica, priuataq; iugiter increbrescunt. Tolle hoc præclarum munus e medio; vexantur Respublicæ, cadunt Imperia, Ciues auelluntur, intestina bella crudescunt, virtutes iacent, crimina fouentur, boni pessudantur, dominantur mali, raptus, adulteria, & mala cuncta dissolutè, turpiter, & pernitiosè passim fiunt. O præclaram; Orem diuinam, qua quid dignius, quid melius, quid præstantius inuestigari possit non intelligo. Et licet omnes ad se virtutes alliciant, impellantq; ad eos maximè diligendos: in quibus elucent: hoc multo ardentius Iustitia ipsa semper effecit. Quanta hæc igitur Iustitia vim habeat, & robur in Reipublicæ administratione, magistratibusq; gerendis: non vobis opus est indice: qui libera in Ciuitate nati virtutem hanc & fouendo, & amplectendo non liberum Imperium solum conseruatis, sed longe liberius propagatiusq; reddidistis: cum nulla ciuitas, nullum Imperium, nec ulla quidem priuatorum domus deserta Religione Iustitiæ diuturna in libertate consistat. Hac duce Romani, Athenienses, Lacedemonij, Persæ, pluresq; populi innumerabilium urbium summa Imperia adepti sunt, tamq; diù floruerunt, quamdiù eam non violarunt. Sed postquam ijdem ab huius pietate ad libidinem defluxerunt: libertatem, quam bonus sine vita non amitit, momento paruo perdidere, & in turpem seruitutem se ipsos demersere. Non vnum accæpimus in se ipsum, suosq; duriter, & acerrimè sæuisse ut hanc intactam, inuiolatamq; seruaret. Charunda Tyrius cum e Rure in Concionem gladio accinctus ingrederetur, licet per impru-

dentiam culpam excusare potuisset; qui in legem, quam dederat, fecisse videretur: manu sua in Senatu sibi morte consciuit. Zaleucus munita legibus à se saluberrimis urbe Locrensiũ quòd filius adulterij damnatus pro iure constituto, vtroq; oculo carere deberet: ciuium primo voluntati repugnans, moxq; victus unum sibi, alterum vero filio oculum eruit. Cipus porta egressus ob duo veluti cornua capiti enata, fore Regem admonitus, si in urbem reuertisset: ne Patriæ imperaret, voluntarium exilium sibi indixit. Taceo Brutum pariter, & Torquatum: qui Parentum pietati Iustitiam præponentes Filios cœdi virgis, moxq; securi percuti sæuerissime iusserunt. Sileo Ælium prætorem, qui suo morsu in conspectu Senatus Picum enecauit: qui priuatorum vtilitatem, publicæ præferri non iustum putauit. Transeo Romanos Pyrrho in Italia hosti legatos destinasse: ut à veneno precaueret: qui nephas existimarent veneficio, non armis cum hostibus pugnare. Prætereo etiam Phaliscos; quorum mœnia Romanus Consul expugnare non poterat: æquitate victos se sponte romano Imperio subdidisse. Afferrem ad hoc plura, fertilioraq; exempla: si nimius non viderer, meq; etiam ad se Patriæ Caritas non vocaret, sine scelere quidem tam pium nomen præterire non possem: cum nil magis Caritate Iustitię sit adnexum. Hęc est illa: quę Parentum, Affinium, ac Liberorum Caritates amplectitur. Hęc amicitias, societates, & Matrimonia contrahit, Ciues conciliat, Magistratus firmat, Respublicas seruat, diuitias, honores, & dignitates profusissime elargitur. Illi ciues, illi Patres patriæ merito cognominati sunt: qui propinguos, filios, vxores, parentes, seq, ipsos pro Patriæ Caritate profuderunt, Quid Brutum compulit Tarquinijs Ciuitatem liberare cumq; inimicissimo Arunte infestis hastis concurrere? Quid Horatium Coclitem, hostium incursus substinere: dum pontis crura succiderentur, Tiberinaq; fluenta multis insuper cadentibus telis in-

sidentem

ſidentem equo tranare? Quid Decios deuota capita pro victoria exponere? Quid Regulum Romanis captiuos permutandos diſſuadentem, ad dira tormenta Carthaginenſium redire? Ea deniq; obſeruatione innumerabiles ciuitates e viliſſimis quandoq; primordijs ad ſummum Imperij culmen euaſere. Hac Athenæ, Thebæ Troia, Babylon, Carthago, & Roma rerum iam caput, ſe in libera libertate collocarunt. Has tamen, & plures Illuſtres vrbes diſcordia, neglecta Religio, ſeditio, auaritia, ingratitudo in rapinas, in incendia, & cedes induxere, penituſque euertere, & ſolo æquarunt. Quid hic externa ſubnectam: cum exemplo voſmet ſatis eſſe poſſitis? qui vtranque Fortunam paſſi, vidiſtis florentem hanc, & liberam Ciuitatem ob diſcordiam fugata Caritate quandoq; ſubactam: cum ſcelerato, ac perdito dominatu Vguiccio Faſolanus, Maſtinus Scala, & impij Piſani inuaſere. Sed preſto tamen reuocata Caritas, & ſingularis concordia hominum amentium perfregit audaciam, turpe ſeruitium reiecit, & priſtinam libertatem reuocauit. At qui impetum fecere, plus etiam, quam optaſtis, pœnę dederunt. Non tam ea tempeſtate optanda fuit libertas, quam nunc retinenda. Sed quid hæc? vt miſera ſeruitus, & intolerabilis natet ante oculos; Solet enim iucundiorem libertatem facere, ſeruitutis ipſa recordatio. Habetis Ciuitatem & opibus, & laudibus florentem, virtute, conſtantia, & viuentium, & antiquorum probitate virentem, florem Italiæ, ornamentum, & dignitatis maieſtatem. Hinc belli fulmen Caſtruccius, & bellona Matildis, Hinc Lutius, & Alexander Summi Pontifices, Hinc Anſelmus, & Zita cum Gratiano Sanctiſſimo fratre claruere. Taceo corpora, Taceo Sanctorum miracula. Quis huic loco præferri poſſet: quem ex omni orbe terrarum Simulachro ſuo ſumma, & æterna Maieſtas elegit. Nihil eſt illo beneficio, & munere illuſtrius, nullumq; antiquius exemplum vete-

ris

ris Sanctitatis. Deus Immortalis optima dedit pręsidia, validum, & inuictum murorum robur, defensoresq; probos: quibus diligenter inspectis efferus Narses consilium reuocauit, missaq; oppugnatione omnem exercitum auertit. Hæc etiam sæpe aliorum versutias, astusq; fregere. Seruate per Deum, oblatam occasionem, Retinete multis, magnisq; rebus singularem antiquorum integritatem, & animum, & virtutem imitamini, hanc saluam contra omnem pestem Libertatem, & Imperium defendite, nulla est laudabilior defensio. Pulchrius est cum laude cadere, quàm cum ignominia seruire. Nihil est turpius dedecore, nil sordidius, fœdiusq; Seruitute. Decet ad decus, & libertatem natos, aut libere viuere, aut cum dignitate mori. Sed dicat quis, quorsum hæc omnis oratio, quid Nos exquisitis, & luculentis verbis hortaris? Satis enim sponte sumus incitati, & nostro consilio confirmati, nec cuiusq; præceptis, consilijq; egemus. Scio Patres amplissimi, non consilio, non hortatione opus esse, sed gratulatione magis. Gratulor profecto huic fœlicitati, & gloriæ, magnam capio voluptatem, sum & auidior: quam satis est: huius æterni nominis. Laudo vos, laudo. Scitote: quicquid attigi: à vera Caritate profectum. Feci vt dicitur; currentem incitaui. Feci vt optimus Imperator, qui licet structas acies ad præliandum paratissimas videat, omnes tamen hortatur. Legimus Atridas Regum Reges sæpe consilijs suis aliquem Nestorem adhibuisse. Nec ab hortatione desistam; incumbite vt facitis laborare, vigilijs, consilio, autoritate. Vnum omnes sentiatis, studeatis vnum omnes, libertatem omnes amate, retinete, vincite: ad quam vos tanquam ad hereditatem maiores vestri vocauerunt. Ad vos me verto, qui Magistratu nuper estis functi, omniumq; ore maximas gratias ago, & habere debeo, qui Statum Reipublicæ benefirmum summo ingenio, singulari probitate, constantia; & opera

firmio-

firmiorem reddidiſtis, quiq; ardentiſſimo amore, ſtudio, cura, & ſolertia quicquid addi potuit, accumulaſtis, nec ad tempus ſolum vtilitatem peperiſtis, ſed etiam ad exemplum. Vos nunc inituros: vt vector ſummos Gubernatores: moneo quoq; conſilio: quo valetis plurimum: non egetis. Libertas agitur. Quamuis ardentes, & erectos hortor. Hæc arma, hæc ſigna, quæ vobis traduntur: omne ius habent, & Poteſtatis, & Imperij Intelligite in vobis poni omnem Rempublicam non tuendam modo, ſed amplificandam. Propoſui claros viros: quorum exempla: quid fieri deceat: edocent. Tenete liberam ciuitatem, metu, & periculo liberate, vigilate, circumſpicite à tergo, fronte, latere. Cogitate, enitimini, nihil prætermittite: quod ad Libertatem attinet. Alij poſſunt ſeruire. Lucenſium eſt proprium dominari.

FINIS.

PACIFICI MAXIMI ASCVLANI CARMEN ORATIONI SVBIVNCTVM.

VAticinor totum ſpirant mea pectora Phœbum.
 Et ſunt diuini quæ cano verba Dei.
Ite triumphales, animo data ſigna ſereno
 Sumite, per nullos interitura dies.
Vt ſua iura dedit biſſenis Iuppiter aſtris,
 Sic hæc biſſenis dat ſua, Luca viris.
Æterno imperio Cœlum, Stellæq; reguntur
 Cum Cœlo, & Stellis lucaq; ſemper erit.

FINIS.

PACIFICI

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI

AD MAGNIFICVM

IACOBVM SALVIATVM

De componendo Hexametro, & Pentametro

LIBELLVS INCIPIT.

EPISTOLA.

SVauiſſima oratio tua, & amor erga me ſingularis cogit, me tuæ voluntati morem gerere. Et nihil eſt, quod pro te non animo libentiſſimo velim ſubire; Cumq; maximus ſis Orator: in hoc etiam tibi quo maior emergas Poeta, deeſſe nolo. Sed quid eſt, immortales Dij, quod Architectum Architecturę, Aſtrologum Aſtrologiæ, Rhetorem Rhetorices; nullum autem Poetam, non Homerum, non Virgilium, non quicunq; perlegitur: carminis artem tradidiſſe conſpicio, Auaritia ne, vel Inuidia: cum pij, Sacriq; ſint: ab hoc officio ſeductos ſuſpicet? An vero magis, quæ res immenſa, & diuina vlli regulæ, & certo fini ſubiacere non poteſt? Qui tamen ſyllabarum quantitates, & tempora tradiderunt in errore plurimo depræhenduntur; quiq; illorum diſciplinam ſequti ſunt: ad rude carmen, & difficile peruenerunt. Nos vero ſine vlla ſyllabarum cognitione quanta ſit quæq;, e Poetarum carminibns elici demonſtrabimus: quorum obſeruantiam ſequti, nullo penitus labentur errore: ſeq; Poetas: quales eſſe volent imitatione conficient. Vale.

Præ-

Propofitiō.

Docebimus ergo, cum hi cæteris præftent, primò Hexametri, moxq; Pentametri Scanfionem; qua perfpecta, Syllabarum facilè quantitas percipietur. Et oftendemus in vtroq; carmine quot Dactyli, quotq; Spondei, moxq; quotSyllabæ longæ, quotq; breues fint: & quæ fit cuiufq; certiffima Pedis fedes.

De Hexametro.

Dicitur vero Hexameter verfus, vel Senarius, quia fex conftet menfuris. Heroicus, quia hoc Carmine gefta Heroum notentur. Dactylus, quia hoc pede maxime conftet. Prius dictus eft Pythius, quia hoc carmine Apollo vteretur.

Quot Pedes, & quibus vtimur.

Sunt vero Pedes omnes duo de triginta; Ex his quatuor Diffyllabi; Trifyllabi octo; Quadrifyllabi fedecim. Sed vtimur duobus tantum in legitimo Hexametro, & Pentametro; Dactylo, videlicet, & Spondeo: licet & alij quatuor, Iambus, Anapeftus, Tribacus, & Perceleumaticus aliquando, & perraro quidem fint comperti.

Iambus vt *liminaq; laurufq; Dei. Te canit agricola magna cum venerit vrbe. Non ego cælare poffum quid nutus amoris. Tytirus hinc aberat ipfe te Tytire pinus*; frequentius enim tertiam fibi fedem vindicauit.

Anapeftus, *fluuiorum rex Eridanus*, Tribacus, *Tumq; canit himenæos. Et, fi pereo manibus hominum.*

Proceleumaticus, *Genua labant. Arietat in portas. Hærent parietib⁹ fcalæ. Labat ariete crebro. Et flumine reice capellas*; Licet in his plurimis fi, i, vocalis media confona efficeretur, Dactylus inueniretur. Qui omnes, & confimiles extra noftram regulã locandi funt.

Animaduertendum etiam, vltimam cuiufq; Verfus indifferentem effe, ac pro longa haberi, & fic Trocheum excludi, cum illic etiam breuis tempus integrum videatur vindicare.

Pedes & eorum Figuræ.

Hi ſunt Pedes, & eorum Syllabarum, ac temporum Figuræ.

Dactylus habet Syllabas tres, primam longam, duas vero breues: cuius hec eſt figura. — II.

Spondeus ſyllabas duas longas. — — Iambus duas, primam breuem, extremam vero longam. I—.

Anapeſtus Dactylo contrariatur. II —.

Tribacus tres habet breues. III.

Proceleumaticus breues quatuor. IIII.

Quid Pes.

Pes eſt compoſitio duarum, pluriumue Syllabarum ſub certa Syllabarum, ac temporum obſeruatione.

Quid Pedi accidat.

Pedi ſex accidunt, Arſis, Theſis, Numerus ſyllabarum, Tempus, Reſolutio, & Figura.

Quid Verſus.

Verſus eſt legitima Pedum connexio, & ordinata diſpoſitio ad animi delle&tationem inuenta.

Quid Metro accidat.

Metro ſeptem accidunt; Scanſio, Genus, Speties, Compoſitio, Cenſura, Figura, Depoſitio.

Quid Scanſio.

Scanſio eſt ſingulorum pedum commenſurata diſtributio.

Quid Scanſioni accidat.

Scanſioni duo accidunt; Sinalæpha, & Ecthlipſis; quando enim aliqua dictio in vocali, aut. m. deſinit: & ſubſequens à vocali incipit fit per colliſionem Ecthlipſis. i. depoſitio, & excuſſio precedentis: quod vtrunq; hoc habet carmen; *Littora multum ille, & terris iactatus, & alto*. Licet tamen. m. ſed raro) ſeruetur, vt Emnius *milia militum opto*. Iuuenalis: *Cum propter plurimarum*

rum

rum his. Tibullus: *& tanta venerata virum hunc sedula curet.*

Compertum eſt etiam ſ. cum ſua vocali collabi, vt *Inter ſe coÿciſſe viros, & decernere ferro*: & *aut ouium ferus aut vrentis culta capellas*. *Solus hic inflexit*, vel hic eſt breuis, vt in illo: *Hic vir hic eſt tibi*.

Sæpe licet hæ vocales concurrant, non tamen cadunt cum colliſæ & excuſſæ non pedem legitimum conficerent; Vt. *Longum formoſæ vale vale inquit Iola*. *Vale vale inquit & Echo*. *Littus hyla hyla omne ſonaret*. *Poſt habita coluiſſe ſumo, hic illius arma ſtant & iuniperi & caſtaneæ hyrſutæ*. Amphyon dirceus in Actæo aracyntho. *Sub ilio alto credimus, an quam amant ipſi ſibi ſomnia fingunt. In Ionio immenſo*, & *aut purpureæ Auroræ Inſulæ Ionio in magno, ò, vtinam, quem dardanio Anchiſe*: & cætera permulta.

Et ſæpe in eadem dictione cadunt; vt *laquearibus aureis*. *Vnguibus aureis*. *Ferreiq; Eumenidum thalami*. *Centum ærei claudunt vectes*. *Talibus Ilionei dictis*. Et illud: *Collectam exilio*. *Orphei calliopea lino*. *Incipe Dameta, tu deinde ſequere Menalta*: ſed in hac dictione, *deinde*, non ſemper fit excuſſio, ſed ſtat modo longa modo breuis. *Cogitat vt dehinc ſpetioſa miracula promat*. Et *bona dehinc auro grauia*: vbi nota, *grauia*

In *deero* aliquando ſequens. e. cadit & *de* longum remanet: ſæpeq; cadit *de*. & ſequens *e*. breue remanet: ſæpeq; ambo ſtant & *de*. breue eſt ratione ſub ſequentis. *e*. vt in illo *deerat adhuc* ea ratione qua eſt *præuſtus* & Proceleumaticus, vel prædicta ratione ſit Dactylus, aut Tribacus. In *Dij* vnum. i. confunditur.

Animaduerte *ſuadet* diſſyllabum. Hinc *ſuadet amor, timor eſt, qui ſuadeat illud*. Statius tamen ait: *Quas nox in opina ſuaſit*. Fit enim ſępe Dieteſis in Diphtongis, vt *aenus*: in Nominibus vt *ſyluæ*: in Verbis vt *ſoluo*: & in cœteris dictionibus vt *heu*, *huic* & *cui* vt *ille cui ternis*. *Druſorum cui contigere barbæ*. *Perſena ſed iuueni*

ne sim tibi longior huic; *Heu quam pingui macer est mihi taurus in aruo:* Sed *heu* & *heu* non colliduntur, vt *Indoluit quotiensq; puer miserabilis heu heu. Dixerat, hæc resonis iterabat vocibus heu heu.*

Cumq; vna Syllaba in suprema parte carminis superest, si in se non colliditur, fiet collisio cum immediata vocali sequentis carminis: *vt hominumq; locorumq;*, quod e contra fieri eadem ratione concessum est: vt illud, *Rore pruina & matutina greges*. Erit ergo ex his, & his similibus libera nostra regula.

De sex sedibus Pedum in Hexametro.

Habet heroicum Carmen pedum sedes sex; Dactyli quintam, Spondei sextam, habita indifferente vltima pro longa. Cæteræ vero quatuor sedes communes sunt, & Dactyli, & Spondei. Sunt tamen notanda quæ in quinto Spondeum habent. *Bracchia terrarum porrexerat Amphitrite*: *Siluarum lucos circumspicit antiquarum*; *Cornua velatarum obuertimus antennarum*.

Prima regula Hexametri.

Necesse est numerum Syllabarum carminis haberi non computata Syllaba quam Ecthlypsis amoueri iubet; Tumq; si fuerint Syllabæ decem & septem —II. erunt quinque — —. vnus; Quotq; Syllabæ decrescunt ad tredecim vsq; tot decrescunt —II. Succeduntq; — —. vt à primo ad vltimum. *Panditur interea domus omnipotentis Olympi*. *Luctantes ventos, tempestatesq; sonoras*.

Secunda Regula.

Habeto nummos decem & octo, & æquato numerum Syllabarum cum nummis, quotq; tibi supererunt nummi, tot erunt. — —. Cæteri vero. —II.

Tertia Regula.

Habeto item nummos duodecim, æquato cum syllabis quot Syllabæ supererunt tot erunt. —II. Cæteri vero. — —.

Quarta

Quarta Regula.

Bis cape extremos duos, sed non bis primum in primo; vel enumera simpliciter, à fine repetendo principium, & æqua cum syllabis, & quæ sunt ante finem cum eo fine. ⏤II. sunt: Cæteri vero qui retro sunt. ⏤ ⏤.

Quinta Regula.

Sumito quinq; extremas Syllabas carminis, & ex his ⏤II. vnum; vnumq; ⏤ ⏤. confice. Ex omnibus vero Syllabis quæ sunt ante, finge ⏤ ⏤. quatuor; quot Syllabæ extabunt; tot interiacebunt ⏤II.

Sexta Regula.

Simili modo ex omnibus Syllabis quæ sunt ante, finge ⏤II. quatuor, quot Syllabæ deerunt tot interiacebunt ⏤ ⏤.

Septima Regula.

Pone Radium maiorem Rotæ in numero cælato æquali Syllabis Carminis, e vestigio enim videbis quot sint ⏤II., & quot ⏤ ⏤ quot longæ sint, & quot breues Syllabæ.[a]

Signat prima: sequens protendit: tertia tardat:
Quartaq; Spondeus est: quintaq; Dactylus est:

Octaua Regula.

Æqua Syllabas carminis cum digitis, vt hi dicunt versus.[b]

Quinq; artus numera bis, primos ne cape, sed qui
Est modus atq; infra Dactylus esse solet.

De Pentametro.

Pentameter Versus, vel quinarius dicitur à quinq; pedibus. Item Elegiacus, etiam Hexametro iunctus luctum, & lamentationem significans.

De

[a] *Vide Figuram primam, pro qua habes sequentes versus.*
[b] *Vide Figuram secundam, pro qua habes sequentes versus.*

De quinq; ſedibus Pedum in Pentametro.

Pentameter habet Pedum ſedes quinq; primas duas communes —II. & — —. poſt quam ſyllabam vnam, ut plurimum longam, & extremam vnam quæ pro longa habetur: quæ duæ vnum conficiunt; inter quas duæ ſunt ſedes ſemper — II.

Prima Regula.

Numerabis eius Syllabas, ſi fuerint quatuordecim — II. erunt quattuor. Si fuerint tredecim —II. tres. Sin duodecim — II. duo, reliqui vero — —.

Secunda Regula.

Habeto nummos quatuordecim, & æquato numerum Syllabarum cum nummis, demum inſpice, & quot tibi ſupererunt nummi tot erunt — —. Si nullus: non erit vllus; eo excepto: qui conficitur ex duabus Syllabis, media & extrema.

Tertia Regula.

Habeto nummos decem, & æquato cum Syllabis, quot Syllabæ ſupererunt tot erunt — II. Cæteri vero — —.

Quarta Regula.



Bis cape extremos duos in numero, & bis primum in primo, & æqua cum Syllabis, & qui ſunt ante finem ſine eo fine, niſi bis ibi non pauſatur — II. ſunt. Finis ipſe ſi bis non pauſat, & quæ retro ſunt — —. ſunt.

Quinta Regula.

Ante ſupremam Syllabam confice — II. duos poſt iterum mono-Syllabam. Si ante quattuor erunt Syllabæ, duo — —. ſunt: ſi quinq; —II. unus & — —. unus, Si ſex duo —II.

Sexta

Sexta Regula.

Item ante mediam monoſyllabam ubi uox ſuſpenditur finge ⏑ ⏑. duos, & quot tibi Syllabæ ſuperſunt tot tibi ſunt ⏑ II.

Item finge ⏑ II. duos quot deerunt Syllabæ tot tibi erunt ⏑ ⏑. ſubſequentes ſedes duas ⏑ II. eſſe diximus.

Septima Regula.

Pone Radium maiorem Rotæ ſub cœlato, numero, æquato Syllabis tui carminis, tum e ueſtigio enim videbis qui ſint ⏑ II. & qui ⏑ ⏑. quot longæ ſint, & quot breues Syllabæ extra duas indifferentes.[a]

Signat prima, ſequens protendit, tertia tradat:
Quartaq; ſpondeus eſt; quintaq; dactylus eſt.

Octaua Regula.

Æqua ſyllabas carminis cum digitis ut hi dicunt uerſus.[b]
Extremo bis ſume duos ſine pollice primum.
Dactylus eſt, finis quicquid & ante fuit.

Quæ ſit ſedes cuiuſq; pedis.

Relinquebatur videre certiſſimam cuiuſq; pedis ſedem. Eſt igitur certa ſedes ⏑ II. quinta: ſexta vero. ⏑ ⏑. ut diximus habita indifferente pro longa. In quattuor autem precedentibus ſi ſunt omnes. ⏑ II. ſeu ⏑ ⏑. omnes, nulla eſt ſedis dubitatio. Verum ſi permixti ſunt, cum hæc loca quatuor in Hexametro, in Pentametro duo prima inuadentis ſint: accentus pronuntiatio, diphthongus, & maxime Poſitura certiſſimam cuiuſq; Pedis ſedem diſcernet in plurimis. In ſecunda enim & tertia. ⏑ II. Syllaba nec longa Syllaba nec Poſitura, quæ illam elonget eſſe poteſt; quare de Poſituris dicendum eſt.

Quid ſit Poſitura.

Poſitura eſt duarum, pluriumue conſonantium coniunctio præcedentem vocalem elongantium.

De

a *Vide tertiam Figuram pro qua ſtant ſequentes verſus.*
b *Vide quartam Figuram, pro qua ſtant ſequentes verſus.*

De Generibus Positurarum.

Genera autem Positurarum sunt quinq;, quæ sub hoc carmine continentur. *Stant autem attonitusq; hæret nec nauita stipat*. Aut enim Positura est tota in principio primæ dictionis; & tunc, cum nil habeat, quod elonget Positura esse non potest, non enim vlla breuis vocalis præcedit; ut St. Aut est tota in fine dictionis: & tunc elongat præcedentem vocalem: ut *Stant*. Aut est tota in medio dictionis: & tunc etiam elongat vt *attonitus*. Aut est pars in fine præcedentis dictionis & pars in principio subsequentis, & tunc simili modo elungat: ut *tusq;*. Aut est tota in principio subsequentis dictionis, & tunc ut plurimum non elongat: ut *nauita stipat*; sed Marcus dixit *romana stringis in ora*. Potes ex hoc carmine colligere quod Diphtongus est longa, nisi aliquando sequente vocali: ut stant *au*. Item quod .m. cum sua vocali sequente vocali cadat: ut *aut attonitus*. Item habes *.h.* non esse litteram, sed aspirationis notam: cum collisionem non impediat: vt ibi, *quehæret*. Item quod vocalis vocali coniuncta sub vno spiritu efficitur consona: ut *nauita*.

De Liquidis.

Nota tamen quod .l. & .r. cum liquescunt pręcedentem vocalem breuem iunctæ, cum muta immediate post, non elongant .s. quoq; sæpe liquæscit: vt illud, *Ibimus quesitum verbum, ne ipsi teneamus, formido quid ago da venus consilium*.

De Duplis.

Duplę sunt.x.&.z.&.i.in medio duarũ vocaliũ si cõsona cõficitur.

Ad Iacobum Saluiatum.

Habes mi Iacobe, quæ potui, vel arte, vel ingenio in Hexametro, & Pentametro componendo perquirere. Tibiq; recipio si Poetarum autoritate, & doctrina ad carmen venies; perfacile, breuiq; te ipsum non vltimum inter Poetas comperies. Vale.

Finit Libellus Pacifici Maximi Poetæ Asculani de Hexametro, & Pentametro componendo,

PACI-

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI AD EVNDEM

IACOBVM SALVIATVM

KALENDARVM ROTA.

NEq; in hoc tibi, neq; in rebus alijs, quas me ſubire iuſſeris vnquam noſtra deerit induſtria. Neſcio quid breue à me petieras, ne ſemper longa dierum in nonis, Idibus, Kalendis, in Menſe omni haberetur dimenſio: Feci quidem, & non inuitus hanc tibi Rotam: ut dies omnes notare poſſis: facileque etiam notatos percipere. Animaduerte Kalendas à Menſe ſequenti nuncupari, Cellulam, autem Vacuam in Februario ibi ſexto diem vnum aſſumere ſeptimo decimo Kalendas Martias ſignandum.*

Scripſimus Kalendas ad vſum vulgi non ignorantes quid per .c. notetur.

Eiuſdem Pacifici ad eumdem Iacobum.

Cum tecum diſcubuiſſem, vidi Adoleſcentem Aurum, Argentum, & Æs in medium poſuiſſe: iuſſitq; ab ijs quod vellent cælari, moxq; quid quiſq; cælauerat indicauit.

Z Hæc

* Vide Figuram quintam.

Hæc quoq; Rota tres rerum cælatores indicabit.

Dato Primo nummum vnum: Secundo duos: Tertio vero tres, demum colloca in medio Aurum, Argentum, & Æs. deinde pone numerum nummorum ſupra decem, & ſeptem. Qui Aurum cœlauit ſumat ex eo tantundem: qui Argentum bis tantum: qui vero Æs quater tantum: & in numero deficiente ſignatricem colloca; ſicq; quod quiſq; cælauerit videbis e veſtigio.[a]

Impreſſum Florentiæ Anno gratiæ 1485. pridie idus Iulias.

[a] *Vide Figuram ſextam.*

PACI-

PACIFICVS MAXIMVS POETA ASCVLANVS AD ANGELVM COLOTIVM ÆSINATEM.

HOc quidquid Libelli eſt diue Coloti tibi dedico, quod nullum non dico prudentia, uel ſapientia præſtantiorem; ſed ne parem quidem tibi quenquam inueni. Cum diù Ciuitates omnes exploraſſem; & orbem lucerna vigili perſcrutatus fuerim. Ecquos hodie præter te reſpectat Poetas? Perijſſent ingenia plurima, niſi in ſinus tuos fugiſſent, qui tutela, & præſidium vnicum es omnibus, Debebunt mihi Muſæ bene collocatæ. Nec de ſeruitio opus hoc virginale queretur, quod in manus uiri pudiciſſimi, & eruditiſſimi aduolarit. Nec erubeſcet iudicium, & lituras tuas. Ego quod potui dedi tibi perpetuam videlicet, & æternam famam; ſi modo meus hic Libellus uixerit. Vale.

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI

IN LIBELLOS

LVCRETIÆ, ET VIRGINIÆ

PROLOGVS.

ILle ego Pacificus laſciui carminis author,
  Ecce verecundi carminis author ero.
Turpia qui cecini calamo deducta nephando
  Ecce pia carmen Relligione cano.
Ante loquebatur nullo mea Muſa pudore,
  Nunc didicit caſta, non niſi voce loqui.
Et defrenato ructabat verba palato,
  Nunc niſi maturos non dat ab ore ſonos.
Lingua nec ante iugum, nec triſtis ſenſit habenas
  Nunc niſi conceſſa non valet ire via.
Tunc ego quærebam numerum, non carmen, ut ingens
  Iret, & inſanæ creſceret artis opus.
Et mihi non etiam miracula parua videntur
  Quod ſit tam ſubito res mala, facta bona.

Qui

Qui legis hunc, illum legiſti fortè Libellum,
Vix utrunq; putas ſcripſerit unus opus.
Cumq; forem Iuuenis iuuenalia carmina feci,
Nunc quoque quod deceat noſtra ſenecta facit.
Hæc poterit pueris, poteritq; referre puellis
Inq; ſchola ſemper Doctor habere ſua.
Hæc legat, & triſtis Cenſor, caſtuſq; Sacerdos,
Nequitias ullas, non habet iſte Liber.
Hinc laſciue Puer tenera cum Matre recede
Iſte liber ueſtræ non eget artis ope.
Nulla Venus cœptis faueat, nulluſq; Cupido
Ipſa mihi Pallas, Veſtaq; preſtet opem.
Nunc de Virginibus ſunt plectra mouenda duabus
Perq; uerecundos it Lyra noſtra modos.
Vtq; duæ fuerant, duo ſacra Volumina fiant
Explicet, & partes Muſa locuta duas.
Materiamq; ſuam Liber unus, & alter habebit,
Vt paſſa eſt enſes, hæc Patris, illa ſuos.

PACIFICI

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI LVCRETIÆ

LIBER PRIMVS.

SÆpe meos calamos ſuſpendi, & neſcius hæſit;
A' qua principium ſumat, eatque Liber.
Vtraque laude ſua præponi digna uidetur
Alterutri, neutram præpoſuiſſe decet.
Nam bene qui penſat, trutinaq; expendit in æqua;
Inuenit in qua uis, plus ue, minus ue, nihil.
Vna tamen ſi pars caſu ſpectatur in una
Maior in hac ipſa pars erit, una minor.
Aut non ſcribendum eſt; aut altera cedat oportet;
Principium poterit, non bene ferre duas.
Pace tua ingreſſus ſine det, Lucretia Libro,
Virginia, hoc pro me ſuſtinuiſſe velis.
Et iubet hoc tempus; iubet hoc & ſerior ætas
Et prior exemplum, quod dedi ipſa ſui
Tu quoque ſi primis repetam primordia rebus
Da ueniam Lector; non oneroſus ero.
Multa breui dicam, ſerieſq; immenſa reducta
In minimum fiet dexteritate breuis,
Tempore Roma fuit primo poſſeſſa ſuperbis
Regnis & Regum ſub ditione fuit.
Romulus, ut ſulco circumſignauerat Vrbem,
Ipſe loci ſolus Rex ait huius ero,

Moxq;

Moxq; Remi iussit caput à ceruice reuelli;
  Quod nunquam Dominos res capit una duos.
Deque suo dixit, sua mœnia nomine: Romam;
  Quod numero fratris uicerat Augur aues.
Instituit sacram nemorosis vallibus Ædem;
  Ad quam qui fugit, non licet inde trahi.
Moxque Senatores, sanctumque ætate Senatum
  Legit; qui Patres, patritijq; forent.
Neptuno dum sacra facit, rapuisse Sabinas
  Dicitur; & viduis associasse thoris.
Bellum ingens oritur, faciesque miserrima Belli;
  Stat Gener hinc, illinc stat ferus ense Socer.
Obruta muneribus iacuit Tarpeia paludi
  Liber equo, & limo nomina fecit eques.
Qui Fratrem non est passus, non credimus hostem
  In sua participem Regna venire pati.
Iuraq; purpureus celerum munimine tutus
  Reddebat, sæuus verbere Lictor erat.
Liberat obsidibus Veios, & diuidit agros
  Militibus; nullus nouerat ista Patrum.
Illi indignantur; statuunt, & perdere Regem
  Et velare pia calliditate nephas.
Iamq; omnis subijt vulcania Templa Senatus
  Inter, & hos gladius paruus, & vnus erat.
Iam Pater ingreditur Romanæ conditor Vrbis;
  Et sedet in medio celsior ipse loco.
Tum duo deposcunt Regem, & secreta referre
  Se velle à nullis accipienda viris.
Credulus admouit faciles sermonibus aures
  Et lateri medius iunxit vtrique duos.

Hic

Hi caput iniecta veste & spiramina claudunt;
Milleque conueniunt protinus inde manus.
Mors caruit ferro; caruit mors voce dolentis;
Et vix inuenit spiritus ipse viam.
Vtq; parum iacuit, sanguinisq; induruit, artus
In frusta, & partes subsecuere breues.
Quisq; suam partem cœca sub veste locauit
Deprendi nullo possit, ut illa modo.
Iamq; resoluuntur postes, funduntq; Senatum;
At celeres, ubi sit Romulus ipse rogant.
Hic est, vnus ait, nobiscum incedit, eratque
Iunctus, & ut possit iunctius esse nihil.
Quisquis adest oculos partes dimittit in omnes,
Si videat; nullo conspicit esse loco.
Esseque miratur nusquam, quem viderat vsquam;
Quid potius possit credere; nullus habet.
Pars stupet; & pars est fraudem quæ cogitat, audit
Compositus nemo, qua fuit arte dolus.
Excusant Patres, nullum subijsse barathrum;
Quod sese nulla parte relaxet humus.
Credimus emeritum Cœlum dixere perisse;
Indigenæ demus thura, precesque Deo.
Assensere pij, venienteq; nocte Deorum
Templa colunt; sacris dant pia thura focis,
Exercent odium, sed qui peiora verentur,
Et nulla mentem pace tenere valent.
Inuidiam veniens à longa Iulius alba
Liberat, & populo talia verba refert.
Hesternæ Romam repetebam tempore noctis
Reddebat plena lumina Luna face,

VITA
PACIFICI MAXIMI
EX
ATHENEO ASCVLANO
DEPROMPTA.

PACIFICVS MAXIMVS, Patrià Asculanus, omnium ferè Literarum genere excultus, sub quadringentesimum, & millesimum salutis annum primarià inter ciues Familià, patrijsq; fortunæ bonis affluentissimà natus est, vt eius Sepulchri Epitaphium, & qui eum celebrant, Elogiographi luculenter testantur; quod & ipse non diffitetur Libro quinto nona Elegia.

Orbus eram, sed diues eram: solatia damni
Præbebat multis arca grauata bonis.
Et mea barbarico radiabant tecta sub auro,
Sulcabantq; mei iugera mille, boues.

Illius Patrem fuisse reor, haud futili innixus argumento, Ioannem illum Maxij, vulgò corruptè dictum, Maximi mea sententia dicendum; quem rebus pro Patrià, & Apostolicà Sede fortiter gestis, ab anno quinto, & nonagesimo cum terdecies centeno, ad duodeuigesimum vsq; proximi sæculi, Asculana monimenta non sine laude commemorant. Is enim Guelphorum Princeps, Asculo extorris, eòq; rursum cum armato milite ingressus, occupatà Vrbis portà (cui à Ponte maiore inditum nomen) cum turrito desuper propugnaculo, Aquauiuani Adriensium Ducis aciebus transitum ex condicto, ditioni Vrbem dedit; hac tamen lege, vt Gibellinos Patriæ, Pontificioq; nomini infensos ad vnum Vrbe amandaret. Eiecit Dux; sed Exules in Ciuitatem à Duce mox reuocatos iniquè ferens Ioannes, Montosam Arcem, quæ pro Aquauiuano iam tenebatur, Administro quodam Arcis Præfecti, pecunià expugnato, in suam potestatem redegit. Aduentante subinde, quem acciuerat in auxilium, Mustardà,

Duce tunc temporis in Italia militari gloriâ præclaro: Subsidiarijs huiusce copijs longè munitior: Adriensem Dynastam dominatu, Asculo Gibellinos, horum plurimos vitâ exegit, vindicatamq; ab hostibus Ciuitatem, singulari fide pro Summo Pontifice obtinuit; donec aliquot post annis iterum in seruitutem adductâ, Franciscus Comes Carrariensis rem Asculanam potitus, qui ob spectatam Ioannis potentiam, ac pietatem in Patriam, & Romanam Ecclesiam, multùm sibi ab illo timebat, nihil tale timentem structâ fraude confodit. Hunc vitæ exitum Ioannes habuit. Id autem initium Pacificus eius Filius, vt ipsemet ordine rem enarrat Lib. 2. Eleg. 8. Municipes Asculani in æterna partium studia pro suo ingenio diuulsi, depositis deniq; simultatibus pacem coiuerant. Cum igitur pro constitutâ Concordiâ diem maximè festum publicâ celebritate agitarent, coorta fortè seditione, confestim in arma redeunt, Pacemque violant. Post editas vtrimque immanissimas strages; Pacifici Pater, qui ex altera partium erat cessim eunte, & propemodum fractâ, clypeo protectus, vix tandem domum incolumis se recepit. In Ædis exustionem, excidiumque, ignem, secures, omnem conatum suum parantibus inimicis: ille nocte concubiâ cum vxore vterum tum gerente, cui nomen Buccia, funis ad fenestram alligati adminiculo se demittit. Asculo egressi per abdita viarum, ac salebras fugâ saluti consulunt. Albescente iam die perueniunt ad Murri Castrum ab Vrbe distitum tria circiter cum dimidio passuum millia prope amniculum, quem nostrates Marinum nuncupant. Inibi affecta grauiter Buccia ex dolore propinqui partus, ac metu persequentium inimicorum, sub arbore frondentis Oleæ cogitur subsidère; qua profectò portendebatur: si Oleam Palladi Sacram Græci faciunt, ipsamq; Palladem, doctam inter Diuas, ac bellicosam: Fœtum gemino literarum, & militiæ studio conspicuum fore, atq; ingenio præditum leni, fluxaq; vena in pangendis carminibus, cum nihil oleo lenius, nihil fluentius; rem vtramq; exitu penitus comprobante. Virilem ergo sexum enixa à symbolo Pacis Olea Pacifici nomen Filiolo dedit, eiusq; os inuolucro frondium obtendit, ne quæsiti ad cœdem Parentes vagitibus proderentur. Alias etiam causas addit Pacificus, cur id vocabulum sit ipsi impositum, videlicet à violata Pace, vt supra innuimus sic appellatum fuisse, siue à contrario, Pacificum dictum, eo quod Factionis aduersæ caput Guerrerius nominabatur; quem Guerrerium (idem omnino est, vel eiusdem Pater) domi, forisq; seditiosum, atq; armis potentem, & clientelis planè declarant, præter Chronicon Asculanum, etiam Simonetta in Sfortiade, Adamus in Firmanorum fragmentis, Corius in rebus gestis Mediolanensium, & ferè omnes

nes

nes eius tempestatis Historici. Vix partu edito Cõiuges cum recens nato, è Castro Murri, vnaq; è vitæ periculo in nobile Oppidum euaserunt, quod in tria distributum oppidula, singula proprium sortita nomen, vnico amplioris vocabulo Camplum nominant, hodie Ciuitatis titulo, & Episcopali dignitate à Clemente VIII. Pont. Max. decoratum. Id sibi loci ceu portum securitatis post mille laborum fluctus, atq; discrimina eatenus delegerunt, quoad Patriæ deferuescerent tempestates, aliusq; esset ab eo rerum status. Hoc fuit, quarè Pacificus præcipuo semper amore Camplum coluerit, & vt se gratum pro hospitij beneficio probaret Elegiæ finem his versibus facit.

Dum Campli, Castriq; noui, Ripæq; nocellæ
Stabunt: illius semper amator ero.
Immemor accepti non vllo tempore fiam
Pro quo me vitas ponere mille leue est.

Compositis deinde Asculi rebus, ad suos deniq; Lares reuersi, puerum ingenuis artibus imbuendum optimis Præceptoribus tradiderunt. Is verò à natura egregio, acutissimoque instructus ingenio in literarijs Studijs eo breui processit, vt non in rei Grammaticæ modo, verùm etiam in Rethorices, Philosophiæ, Mathescos, & syderalis Scientiæ curriculo euolare potiùs, quàm excurrere videretur. Singularis quoq; sua tempestate inter Iuris vtriusq; peritos est habitus, quam Legum Scientiam in celeberrimis Italiæ Gymnasijs publicè explicuisse, cùm ipsiusmet Pacifici scripta, tum Camilli Damiani Epigramma testatum clarissimè reliquerunt. Sed poeticis potissimum scriptionibus claruit. Hecatelegium sententijs, adagijs, salibus, suauitate, elegantia, vrbanitate apprimè conditum, ridet plorat, gaudet, tristatur, sæculum mellito felle demordet, relaxat animum, angorem, & bilem, intercidit. Ideo Christianos inter Poetas Pacificus velut magnam sibi laudem in Elegia comparauit; sic planè maximam apud omnes fuisset consecuturus, nisi Versus identidem fœdis amoribus inquinasset, non quòd ipse reuera lasciuus esset, sed vt plerisq; hominum, qui non boni esse solent, eius Carmina saperent, ac legerentur. Huius tamen licentiæ pœnitens, veniam à Deipara Virgine in calce Operis, quanta potest, miseratione precatur, atq; vt pœnitentiæ verba re confirmaret, & aliqua ex parte penderet, quod deberet; insignia condidit de laudibus Pudicitiæ deuexa iam ætate Poemata, quæ eò spectant, vt Virgines, & Matronæ, cæteriq; mortalium ijsdem itineribus eant, quibus optimè quædam Vxores, ac Viri præstantissimi ad summam Virtutis eiuscemodi gloriam peruenerunt. Sunt autem tam sanis refecta admonitionibus,

docu-

documentis, exemplis, vt ipso Pacifico teste sub initium primi Poematis, si cum aliquibus Elegiarum ea conferas.

Vix vtrumq; putes scripserit vnus opus.
Cumq; forem iuuenis iuuenilia carmina feci;
Nunc quoq; quod deceat, nostra Senecta facit
Hæc poterit Pueris, poteritq; referre Puellis
Inq; Schola semper Doctor habere sua.
Hæc legat, & tristis Censor, castusq; Sacerdos:
Nequitias vllas non habet iste Liber.

Et verò Poeta noster tàm latinè sua carmina lucubrauit, tàm nitidè, tàm concinnè, vt sapientissimis Viris, in primisque Illustrissimo D. meo Magliabechio, Magni Æturiæ Ducis Bibliothecario, & de literariâ Republicâ optimè merito, dignissima videantur, quæ Magistri politioris literaturæ ob discipulorum oculos ponant, explanentq; in Gymnasijs ad publicam adolescentium vtilitatem. Eamdem sibi pro rata existimationem asciscit Libellus de componendis carminibus, eò pluris habendus, quò nullus Poetarum ante Pacificum reperitur, sed post illum dumtaxat, qui eiusmodi artem tradiderit, & in apertum produxerit, vt ipsemet huius rei testimonium ibidem tribuit. Plurimum etiam emolumenti caperent Pueri ex opusculo de Grammaticæ regulis, & verborum Græcorum declinatione (vt cætera prætermittam) si, vt olim, illud euoluerent, haberentq; præ manibus; multa inde paucis discuntur, quæ facili negotio memoriæ mandari possunt; etenim breuitate diserta eorum ingenio consulitur, ne prima ponentes fundamenta Grammaticæ laxitas verborum, & tricæ impediant. Nec mea tantumodò egregia de Pacifici Libris opinio est. De illis præclarè sensit inter suos conterraneos Antonius Bonfinius Historicorum sui æui facilè Princeps, cuius hortatu Elegiarum Decadem Matthiæ Coruino Hungarorum Regi dicauit: Iacobus Franciscus Parisianus in triumpho Poetarum illum exhibet quasi Primipilum triumphantium, sibi eorum nomina aperientem, virtutesq; omnium, ac vitia pensitantem iudicio. Sebastianus Andreantonellius lib. 4. Asculanæ Historiæ eumdem conciuem suum *facili carminum venâ cum Ouidio comparare* iure non dubitat. Iosephus Lentus in clarorum Asculanorum præclaris facinoribus, Pacificum Maximum, refert, *eius Æui maximum maximo in honore habitum, maximoq; illi honores decretos, quòd Musarum vel esset Templum, vel Antistes; certè omnium iudicio tali candore eius carmina colorata sunt, tanta facilitatis granditate mollia,*

vt

Menſus iter medium, ſepes tremuiſſe videbam;
Horrui, & arrectæ diriguere comæ.
Romulus ante viam viſus mihi ſtare, ſed ingens;
Et longe maior, quam ſolet eſſe, fuit.
Dic age Romanis, inquit ne tempora perdant
Lugendo, & præter fata dolere velint.
Mars pater ad Capreæ curru ſuper aſtra Paludem
Subſtulit, in Templo futilis vmbra fui.
Quo decuit terras tenui, nunc aſtra tenemus
Et ſum cum Superis, cum Superumq; Patre.
Nunc mihi mutato dent nomina thura Quirino,
Et mecum Erſilia eſt, nuncq; vocatur Ora.
Arma, aſſueta colant, frenabunt gentibus Orbem,
Et magnum latis, quod iacet æquor aquis.
Non his ætatis, non rerum finis agetur,
Et mea regnabit cum Ioue Roma meo.
Hæc vbi dicta dedit, tenues exiuit in auras,
Hæc volui vobis ore referre Dei.
Accepere fidem Patres cum plebe; Quirino
Dant thura; & molles ſupplice voce preces.
Hinc Regem legere Numam pietate verendum,
Et Iure, & ſancta Relligione virum.
Non hunc, deſertis Curibus, petijſſe Crotonis
Mœnia, quæ nondum facta fuere, puto.
Turpe, Samo, noſtras ſi laudes aſſerit, omnis
Itala, ſi credit Græcia; terra negat.
Hos ritus tellus per ſe dedit ipſa Sabina,
Ipſa ſuos mores tetrica terra dedit.
Hic potuit bello natos, armiſque docere
In molli, & ſancta viuere pace viros.

Et ſacros, celebrare dies, & ſacra Deorum
  Quique dies faſtus; quique nefaſtus erat.
Neue Fides deſit, vulguſq; ut paſcat, adibat
  Ægeriam, quæ mens ſit Iouis, illa refert.
Ne dubitare queat; ne fabula ficta putetur;
  Indiciis certis maxima ſigna dedit.
Nam Patrum ingentem numerum cum plebe vocauit
  Ad cœnam, ſed erat paupere ſtructa cibo.
Tum Numa; cedamus paulo & ſpatiemur in horto;
  In tectis parui iugeris hortus erat.
Vix bene ter lentis errarunt paſſibus illic
  Cum vocat, & ſtructos iuſſit adire thoros.
Illic ornatus, & tanti ſplendor honoris
  Affuit, ut dicas plus nihil orbis habet.
Mane erat, & riguæ fugiebant Sole pruinæ:
  E Cœlo ſcutum decidit ante pedes.
Eueniſſe putant non hæc ſine Numine Diuum
  Et quidquid dicit; dicat ut ore Iouis.
Hæc, & plura tamen cum iam feciſſet, obiuit
  Ianiculum cineres, ſpiritus aſtra tenet.
Inde ferox Tullus ſuccedit, & arma retractat
  Et reſides animos ad fera bella vocat.
Diſcordes ſpargit cauſas, & ſemina belli,
  Miſceat, ut forti prælia ſæua manu
Iamq; recens bellum pluſquam ſociale reſurgit
  Inter Troiugenas Æneadumq; genus.
Hinc albana cohors; illinc Romana iuuentus
  In pugnam aduerſos ſollicitabat equos.
Sed vetuit conferre manum concordia Regum
  Fœdera qui certa compoſuere Fide.

Bellorum summam confecit Horatius omnem
   Alba fuit Romæ diruta iuncta suæ.
Seuitiam Regis tandem compescuit igne
   Iuppiter, extinxit cum dominoq; domum.
Martius imperij post hunc capit Ancus habenas
   Cui Numa iam fuerat sanguine Matris auus.
Seruasset leges, mores seruasset auitos,
   Sed Fortuna pium mentis abegit opus.
Cogitur infestis indicere bella Latinis.
   Causa solet cunctis iusta fauere viris.
Plurima namq; igni subuertit, & oppida ferro.
   Romaq; in immensum creuerat hoste suo.
Primus traiecit Tiberinas pontibus undas
   Carceris erexit primus in Vrbe metum.
Tarquinius priscus, cum iam decesserat Ancus
   Accipit Imperium iura secutus Auis.
Mox Romana domat populantes arua Latinos
   Et cogit toties fræna negata pati.
Marte fatigatos longo submittit Hetruscos
   Et quæ Rex Lidus munera sumit habet.
Imponitq; iugum renouantibus arma Sabinis,
   Quæ iam sex annos continuisse ferunt.
Hunc sua ter vidit ducentem Roma triumphum,
   Et ter reddentem munera grata Ioui.
Pace ornat, quod bello auxit; nam cingit & vrbem
   Molibus, & latas sternit in vrbe vias,
Extruit, & Circum capiat qui maximus orbem;
   Qui modo vel Pontus vel modo Terra foret.
Qui cautem ferro miracula certa probando
   Discidit marmor, Næuius augur habet.

Sed didicit lætis ſemper Fortuna nocere,
Et nunquam fœlix continuauit iter.
Peſſima mors vitæ iucundæ ſola tenorem
Rupit, in hoc vno non fuit æqua viro.
Nam duo falciferi reſecanda ad prata parati
Ante fores rixas vnus & alter agit.
Hos vocat, & dum Rex quæ ſit diſcordia, quærit,
Summiſſi ſacrum ſubſecuere caput.
Occupat Imperium dominam, flamamq; ſecutus
Seruius à ſerua Matre, Deoq; patre.
Vt decreta Patrum blando ſermone leuauit
Mox de ſe plæbi multa timenda refert.
Quod rapuit ſic iure tenet, ſic robore firmat
Hoc illi peperit frontis, & oris honor.
Adijecitq; nouos antiquis collibus vrbis,
Scilicet vt ſeptem ſurgeret illa iugis.
Armaq; diſtribuit, quod vis, quod ferret, & etas
Conſulit, & luſtrum Taurus, & Hyrcus agit.
Sub iura Hetruſcos, & ſub iuga prima reduxit,
Terq; triumphales curribus egit equos;
Templaq; quod multos fœlix traduxarat annos;
Fortunæ fertur conſtituiſſe duo.
Nil tamen hoc illi; mortis cum venerat hora;
Profuit, & fallax vtraq; terga dedit.
Mille locis iacuit ſparſus, caruitq; ſepulchro;
Præda lupos pauit, prædaq; pauit aues.
Sed quacunq; mori non refert morte, beate
Quærendum vita eſt viuere, morte nihil.
Diuerſa emenſus veni, qua curſus agetur,
Quaq; meus miſſus carcere curret equus.

Hic

Hic mihi propoſiti fiet via longa laboris;
  Hic erit admiſſa meta petenda rota.
Tarquinius rapuit Regnorum ſceptra ſuperbus,
  Quo non in terris ſæuior alter erat.
Et nullum ſcelus eſt, quod non admiſerit audax;
  Et nullo expleta eſt crimine tanta ſitis.
Sperandum eſt, cum grande malum conſcendit in altum
  Ad magis excelſum, nec valet ire locum.
Nam ſcelere in tanto res eſt tandem vna reperta,
  Vtilis, ut Regnis cauſa ſuprema foret.
Peſſime ſed poterit quis te, & tua facta referre?
  Mille mihi linguæ; mille nec ora ſonant.
Sed quantum valeo, quantum mea Muſa valebit
  Tantum narratis ſubijciere meis.
Qua fueras tu parte bonus, qua parte probatus?
  In te quid laudis, quid probitatis habes?
A te quod vitium fugit? Quod fertur abiſſe;
  Quem ue nefas in te deſtituiſſe locum?
Cunctorum exemplum es, ſentinaq; fœda malorum;
  Cancer edax, peſtis dira, timenda lues.
Accipe nunc, qualis fuit hic vir candide Lector,
  Pauca queror, non ſunt cuncta notanda mihi.
Dum legis, interea, poterit miſcere miniſter;
  Lectum erit, & non dum mucida vina bibes.
Omnia nec referam, quæ ſi narrare pararem,
  Eſſet mæonio maior vtroq; Liber.
Mentior, an culpam ſubijt Natura, quod illum
  Concepit, tantum progenuitq; nephas.
Et Fortuna foret damnanda, quod extulit illum;
  Quodq; alto poſuit, conſtituitq; loco;

Cum

Cum primum infaustæ Matris deiectus ab aluo
In lucem exisset, prodieratq; puer.
Tum Phœbus, quamuis esset non obuia Phœbe;
Palluit, obscura nocte tegente diem.
Quod fecit, timuit Cœlum, renuitq; videre
Quodq; suis manibus finxerat, odit opus.
Tisiphone excepit, nutriuit lacte Megæra
Alecto stygia membra refecit aqua.
Sanguine tartareo furialis pauit Echidna,
Cerberus arentem diluit ore sitim.
Monstrum ingens, & triste nephas, Matriq;, Patriq;
Formido, mammis non adhibenda fames.
Sors tamen æquauit Cœlo, posuitq; sub astris;
Hæc eadem ludens iecit in ima virum.
Resque dedit nomen, sæuique iniuria facti:
Nomen ab insana mente Superbus habet.
Sors, Fatum, Casus voluit mollire, quod illi
Consortem mitem iusserat esse thori.
Fœmineo poterat, quo se caruisse videbat,
Viuere consilio, nec male ferre pedes.
Sed raro est Vxor simili coniuncta Marito
Nam proba, quæ fuerat, non habet illa probum.
Si quis erit sanus, non sanæ mentis habebit
Vxorem, sapiens insipientis erit.
Effera pacifico coniuncta est vxor Arunti;
Cui sitis, & potus non nisi sanguis erat.
O multum infœlix, qui tanto errore tenetur
Ipse fui quondam, terque, quaterque miser.
Illa velit flammas vndis miscere, diesque
Noctibus, & terris aera, & astra Mari.

It

It tristis facie inculta, lugubris amictu,
Et veste immunda sic velut orba viro.
Mœsta suam queritur sortem, noctesq; diesq;
Ingemit, & crudis unguibus ora secat,
Quod sit tam vili, segniq; adiuncta marito,
Quodq; suis animis non habet ipsa parem.
Iam mallet nunquam Tædas iunxisse iugales,
Mallet & in viduo sola iacere thoro.
Fœlicemq; vocat, fortunatamq; sororem
Coniugio audacis, magnanimiq; viri.
Alteraq; & mœsta, est, aut æque, aut mœstior illa
Inq; una causa, non dolor unus erat.
Mallet & hæc etiam nunquam nouisse Maritum;
Inq; thoro nunquam substinuisse virum.
Optabatq; mori potius, quam ducere vitam,
Et vitæ mortem præposuisse velit,
Quod male cessisset quodq; inuida Fata fuissent;
Quodq; Dei votis terga dedere suis
Auspicio facili sperauerat esse Marito
Iunctam, difficili se tamen esse videt.
Et fortunatam nimium putat esse Sororem,
Quod molli, & leni iuncta sit illa viro.
Semper habet manibus pia thura, & liba, merumq;
Semper uotiuas conterit ore preces.
Ille uelut fulmen, uelut ignis flamma trisulci;
Frangitur, utq; monet feruor, & ira, fruit.
Sic nuptæ, sed non minus his aduersa queruntur
Fata Viri thalamis inuidiosa suis.
Dum tamen interea mentis turbatur, & ardet
Insanæ discors in sua Fata dolor.

In ſecreta domus Vxor ſe duxit Aruntis
  Tarquinium nullo teſte tenente locum.
Accepitq; fidem primum ſua dicta tenere,
  Nec Styga iuranti verba referre Ioui.
Mox ait, ò quoties penetralia ſoluere cordis
  Conſtitui? Tempus, nec locus ullus erat.
Inuida ſi nobis non eſſent illa, dediſſent.
  Vxorem tibi me, te mihi Fata Virum.
Tuque tuo Imperio potereris; & ipſa Marito
  Et decus ipſa tuum, tu ſequerere Patrum.
Quid iuuat inſignes, claroſq; habuiſſe Parentes,
  Si nihil ex illa nobilitate refers.
Quin ſubeat mentem, qua ſis è ſtirpe creatus
  Quodque tibi genus eſt, quique feruntur Aui.
Hercule nil maius, totoque potentius Orbe
  Vidimus; ille tuæ gentis origo fuit.
Gens tua fœlici fertur regnaſſe Corintho
  Hic ubi Bos geminis cornibus aſtra petit.
Ille iugo potuit facili ſummittere dextra,
  Cornua qui potuit prenſa tenere Bouem.
Demaratus tuſca ſedit rate vectus in Vrbe;
  Mutare externas ante ſolebat opes.
Suſcepitque duos clara de Coniuge Natos
  Vnus obit, Patris poſſidet alter opes.
Qui poſſedit opes mutato nomine nomen
  Tarquinius dictus traxit ab Vrbe ſua.
Virtute, atque animo Romam migrauit in Vrbem
  Omina fœlicis certa ſecutus auis.
Sceptraque iam meruit. Sunt & data ſceptra merenti
  Tamque tibi Imperium; quam bona liquit Auus.

An

An vigor, & facies, & vís, & vultus, & oris
Maieſtas ſceptro Regna tenentis abeſt?
Ætatem ſapientis habes, audacia prompta eſt?
Contemptus faciles, & timuiſſe nihil.
Diues es immenſis opibus, munitus amicis,
Vtque addas operi, res petit ipſa manus.
Expectas ne huius Fati, cum venerit hora
Vis dicam, laudis nil, & honoris amas.
Diſſimiliſque tuis viuit tibi moribus Vxor,
Quæ ſegnem, & mollem deſidioſa facit.
Hæc eadem nobis iunxit Fortuna Maritum
Ignauum, & triſti ſimplicitate virum.
Marceſcitq; animus langore, & forma dolore,
Quod iuga non parili duco per arua boue.
Mutemus Fati errorem; iungamur in vnum;
Hæc eſt conſilio res facienda breui.
Cætera quis neſcit pro Regno cuncta licere?
Pro Regno fas eſt, & violare Deos.
Dixerat, & dextras ſimul implicuere, ſimulq;
Tarquinius contra talia verba refert.
Res acta eſt. Operi manus eſt adhibenda parato
Vxorem perdam, tu quoque perde Virum.
Nil ultra; re dicta probant, obſtantia tollunt,
Hic Fratris thalamos, illa Sororis habet.
Hæc ſatira res eſt, res eſt hæc digna Cothurno
Quid faciam? Vires non habet iſte Liber.
Si tamen & vires, & res, & carmen haberet,
Vberius noſtro, non mihi tempus erit.
Si Superi claudunt oculos, claudamus & ipſi
Ira poteſt etiam lenta nocere Deis.

Sæpe ſuis pedibus, qui non proſpexit, ab alto
In collum, inque ſuum decidit ille caput.
Inguina ſubſecuit Saturnus falce Parenti;
Iuppiter è Regno iuſſit abire Patrem.
Tuq; tuo Cœlo, qui regnas, fortiter aude,
Ne quis ab Imperio cogat abire tuo.
Quid toties triplicat, quod ab ignibus exit in vndas:
Quid non ſede ſedet, nec iuuat eſſe, quod eſt?
Quidue Iouis ſydus Saturni adiungitur aſtro?
Inque ſuo primus vellere Phrixus habet?
Mox tribus in Cancro iunctis renouabit Olympum,
Et terram, ſurget Rex nouus orbe nouo.
Neſcio, quem octauus permittit mentibus orbis
Eſſe Deum, ſed, & hic, quod fuit, alter erit.
Cumque meos anni quingenti addentur ad annos
Alter erit noſtro, diſſimiliſq; Deo.
Tunc & diuitiæ, pleno tum copia cornu
Implebunt gremium, nemoq; pauper erit.
Omnia mutari video; ſcelerate iacebis
Et ſolues pœnas, tu bone ſumma petes.
Qui latitare voles, nullo tutaberis antro,
Qua fugies, tutus non eris ipſe fuga,
Hæc Superis, Superumque Patri curanda ſinamus
Vt decet: incœptum nos repetamus iter.
Seruius interea fraudeſque, doloſq; locari
Senſit, & in multis mente labare fidem.
Mox adijt ſanctum, quem legerat ante Senatum
Atq; aperit, quibus eſt Fors ſua preſſa malis
Quæ bona contulerit Romæ, populoq; recenſet
Proque ſuis meritis non patienda pati.

Multa

Multa ſuper Generum dixit (Gener affuit illic)
Quæ ferat in populo, quas locet arte plagas.
Hic vbi conticuit, fremituſq; reſederat omnis,
Tarquinius ſoluit talibus ora modis.
Debemus nos ergo tibi, ſi præmia diris
Debent criminibus, perfidijſq; dari.
Pro virtute quidem debet tibi nemo; quis unquam
Te vidit vitijs abſtinuiſſe tuis?
Nullum adeo ſcelus eſt; quod non admittis, & illud,
Ne quid agas deſit, ſæpe reſumis idem.
In vitio vitium cumulare, in crimine crimen
Gaudes, & nullis it ſitis iſta malis.
Omnia confundis, per te foret Æthere Terra;
Æther cum Terra miſtus, & Ignis Aqua.
Quid tamen hæc cunctis gremium tua vita patentem
Laxauit vitijs, explicuitq; ſinum.
Sed quo iure venis, vel quis tibi tradidit unquam
Frena Vrbis? Prædo non tua iura tenes.
Non dedit inter Rex, & non dedit iſta Senatus
Nec tibi, quæ mea ſunt, credo dediſſe velint
Rex auus Imperium tenuit; Succeſſor, & Hæres
Ad bona, & Imperij debita iura vocor.
Tu datus es tutor, noſtrique miniſter ouilis
Verſus es in pecudes, & Lupus ipſe tuas.
Meque minor, non maior eras, ne forte putares
Hæc mihi non aptas Regna tenere manus.
Quæ vis, quique animus mihi ſit, tentabimus ergo,
Dixerat, inde ſuo proſiluitq; loco.
Sublimemque capit, mediumq; à ſede refixit,
Deturbatq; foras in caput, inque pedes.

 Inde

Inde rapit Sceptrum, foliumq; inuadit eburnum;
Maieftas illi dira, & acerba riget.
Mox venit, & grato Regem prior ore falutat
Vxor, & ante omnes, iuffit auere virum.
Subfequiturq; Phalanx ftrictis, trepidante Senatu
Enfibus, & Patriæ comprobat effe Patrem.
Aurea iam retro magni Regina fuperbi
Curribus auratis vecta legebat iter
Ventum erat ad Cyprum, qua funt angufta viarum
Hic pauidos mulæ continuere pedes.
Quæ fit caufa rogat, iacet hic auriga Supinum
Rettulit, ante tui corpus inane Patris.
Corripuit, iuffitq; fequi, trahit ille, fuperque
Ora, caputque Patris fecerat ire rotas.
Impietas hæc ifta loco noua nomina fixit
Nam vicus nomen, nunc fceleratus habet
Artibus his Regnum peperit, peioribus ufus
Dum tenuit, quamuis addita maior erat.
Protinus in latum vitij diffunditur æquor;
Velorumque finus pandit in omne nefas.
Sic fubitus torrens fluuiali concitus imbre
In non affuetos currit apertus agros.
Confunditq; Vrbis faciem, talifque videtur,
Qualis fub Silla, fub Marioq; fuit.
Contemnit cum plebe Patres, Sancturnq; Senatum;
Æftimat una omnes conditione pari.
Ius, Leges, Ritus, Mores non ille priorum
Seruat, Lex illi eft, vis fua, mofque fuus.
Si quis forte rogat timide, blandeque precatur
Sic ille vt tigris, fic & ut hidra furit.

Sæpe

Sæpe ſalutatus, vel nil, vel reddit acerbum,
  Audiſſet tamquam te mala verba loqui.
Nullum recta acie, nullum, niſi lumine toruo
  Reſpicit, & vultu, quo tonat ira Iouis.
Letaturque malis, fœlixq; quis exitus illis
  Ad votum fuerit, contigeritq; iuuat.
Calliditas vulpis, rabies canis, ira leonis,
  Ora lupi, hæc illi dona fuere uiro.
Atq; iter ad morbum nullum natura negauit
  Ingenium, & uires ad mala cuncta dedit.
Cum furor, & cum uis, & magna potentia iuncta eſt
  Diſijceret ſuperos, tartareoſque Deos.
Ille die nulla, nulla requieſcere nocte,
  Si mala non aliqua fecerit arte, poteſt.
Se coniuratis, multoq; ſatellite primum
  Munit, & in cunctos arma, manuſq; parat.
Cauſa mali ſibi diues erat; bona ſola petuntur
  Pauperior quanto eſt, hoc mage tutus erat.
Hiſque dat exilium, caput his ceruice reuellit,
  Et reus, & Iudex, & ſimul actor erat.
Effugere quibus patuit fuga, ſed fuga paucis
  Profuit, & Syluis non potuere tegi.
Vrbs deſerta viris, & ſacro exauſta Senatu eſt
  Inq; ſua nulla eſt nobilitate domus.
Ergo ſuo vacuum, ſcelerum Conſorte, Senatum
  Sufficit, ut poſſit nil niſi lege data.
Plebs gaudet, ſumma cecidiſſe à ſede Potentes
  Neſcia, quod veniat, poſt ſua terga malum.
Defixit quicquid plebi donabat, & illa
  Quæ dederat diues, cogitur æra dare.

Ne quid in Imperium moliri poſſit iniquus,
  Ocia ſummouit, ſegnitiemq; viris.
Non armis, belloq; domat, terroreque Martis,
  Sed fœda, & turpi conditione manus.
Rupibus hunc lapides, hunc ripis cogit harenas
  Effodere, ille humeris ut graue portet onus.
Antiquis olidum ſtercus lauat iſte cloacis,
  Maxima mille tribus vna cloaca tenet
Quo Mars, quo Populus Martis, quò ſanƈte Quirine
  Laberis? hac Troiam Roma reponis ope?
Hoc Aſiæ Regnum pollens non credidit vnquam,
  Non genus Aſſaracum, Dardaniumq; pati.
Hæc lugenda magis, quam lamentanda fuiſſet
  Res mihi, ſed non eſt verſibus apta meis.
Iam ſequar, vt ſequitur, ſed nec tamen omnia dicam;
  Grandius hoc ipſo, ne mihi ſurgat opus.
Viribus externas patrijs anneƈtit, opeſque
  Non ſatis ad vires cogitat eſſe ſuas.
Mox ſibi delegit Generum de gente latina
  Qui virtute ſuos nobilitabat auos.
Deprenſum falſis Turnum iugulauit in armis
  Et viuum aggeſta contumulauit humo.
Fœdere periurus violato bella Sabinis,
  Et ſocijs contra faſque, piumque mouet.
Dum vano Gabios, & ſe ſe Marte fatigat
  Vinci turpe putat, vincere poſſe negat.
Ad ſolitas artes redijt, fraudeſq; doloſq;
  Quod virtute nequit, fraude, doloq; domat.
Fortè Patri natus vitijs præſtantior ipſo
  Sextus, & ad facinus promptior vnus erat.

Non alius poterat nasci generatus ab illo,
  Nam qualis Pater est, Filius esse solet.
Dicitur, & verum est; quod si mala parturit arbor
  Non poterit fructus, & bona poma dare.
Quale cadus tenuit, vinum prebere valebit
  Dulcia vas fellis, non tibi mella dabit.
Et nocuus serpens habet à genitore venenum
  A nocua semper nascitur herba nocens.
Peior erat cunctis sceleratis Fratribus ille
  Ille quidem maior de tribus unus erat.
Dumq; Pater dubitat, dum se male colligit amens
  Versutum mira repperit arte modum.
Finge Pater dixit longo discedere bello;
  Teq; intra muros uelle tenere tuos.
Cędito uerberibus me sæuis, cæsus ad hostes
  Transfugiam, Patriæ creditus hostis ero.
Quoq; magis credant, argenti pondus, & auri
  Grande feram; bello, teq; tuosque premam.
Ductorem experti facient, me Præside belli,
  Præside me pacis, tempus utrumq; regent.
Cum iactata meam firmauerit anchora puppim,
  Officietq; meo nulla procella Mari.
Proditione mea Gabij capientur, & omnes
  Præbebunt iunctas in tua iura manus.
Vt dicta est; res acta fuit; cæsumque papauer
  Accepit, Gabijs, imposuitque iugum.
Occidis antisti lapidum tumulatus aceruo,
  Victa iacet virtus, & superata dolo.
Heu cui portarum Gabiorum claustra Gabini
  Creditis hic vobis efferus hostis erat.

Credu-

Credulitas ſub fraude cadit, nec retia vitat
Simplicitas, puras decipit eſca feras.
Vt duo romanos dedúxit in arua colonos
Præſidium terra, præſidiumque Mari.
Imperio tutum; nec iam magis eſſe timendum
Cogitat, & nullos poſſe nocere Deos.
Sed Superis viſum eſt aliter, nolentibus illis
Fœlicem nullus, ſe putet eſſe diù.
Attolli, & celſa ſceleratus ſæpe locari
Arce ſolet, lapſu quo grauiore cadat.
Ecce ſuo pœnas Natura in tempore poſcit
Tarquinium ſceleris, perfidiæq; dare.
Ante tamen mittit ſignis portenta ſiniſtris,
Anteque prodigijs, ominibuſque monet.
Bis tonuit, poſtes Fulmen bis limine mouit;
Arſit bis capitis Fulmine tacta coma.
In te vibratum totiens, & Fulmen, & ignis
Non terrent, tactus tertia tela caue.
Elapſus Serpens ſummo eſt è culmine tecti,
Quo fuit in ſubitam Regia verſa fugam.
Inter delitias illi fuit vna Catella
Blanda, ſed vt poſſit blandius eſſe nihil.
Dumq; tamen mulcet, veluti fera vipera dentes
Infixit blandam, diſſecuitq; manum.
In medijs tectis, viridi fuit hortus in herba;
Aruit, & nullo ceſpite viuus erat.
Inq; domo fertur Gallum peperiſſe Draconem;
Abſcidit Patri protinus ille caput.
Inſtructaſq; cibis menſas poſuere miniſtri
Inſtiterant nullæ quas poſuere dapes.

In

In cratera merum miſcent, in ſanguine verſum eſt,
Coƈta veru fiunt cruda, vel ære cauo.
Et caput humanum per ſecula mille ſepultum
Fodit, at inde recens, qui cruor ibat, erat.
Ante fores aulæ ſtabat pulcherrima palma
Hic Aquilæ nidum compoſuere ſuum.
Inde Grues rapidas, pullos, ipſoſq; parentes
Vnguibus, & roſtris dilaniaſſe ferunt.
Viſceribuſq; ſuis exiſſe ſub æthera ſaxum
Somniat, inq; ſuum mox cecidiſſe caput.
Somniat, è leƈto turbari, & lapſus ab illo
Verſabat nudo frigida membra ſolo.
His, & mille alijs monitus, quid Apollo, quid Augur
Conſulat, orauit, quæue ſit ira Deum.
A ſe diducat Natos monet augur, & vnum
De tribus his Natum dixit Apollo caue.
Ille negat ſe poſſe Deos maiora, ſed inquit
Pareo, me quamuis non agat iſte timor.
Protinus ergo duos deduƈtas ducit ad Vrbes
Exilium Imperij falſus honore tegit.
Et formidandum bello tenet Ardea Sextum
Ardea per multos Marte domanda dies.
Inſtat Romanus milles, nec viribus ullis
Parcit, & obſeſſos noƈte, dieq; premit.
Hi ſe defenſant, & forti peƈtore tela
Excipiunt, gaudent pro Patriaq; mori.
Et ſæpe erumpunt Portis, & caſtra fatigant
Ignibus, & ferro reijciuntq; viros.
Quiq; infeſtabant ſæpe obſidione tenentur
Et qui ſperabat vincere, viƈtus erat.

 Iamq;

Iamq; diù nullis castris Fortuna resedit
  Incertisq; alis, ambiguisq; volat.
Nunc his, nunc illis præbet Victoria palmas
  Nunc fauet, & nullis, nunc, & utrisq; fauet.
Defessi cessere acie, se quisq; tuetur,
  Hic vallo, muris se tenet ille suis.
Interea dum bella vacant, dum prælia cessant
  Indulgent animis, ægraq; membra leuant.
Mensa frequens stat structa cibis, spumantq; phalerno
  Crateres, nutat Lanx onerata dape.
Accumbunt cum plebe Patres, sibi quisq; ministrat
  Quilibet hæc eadem vina cibosq; capit.
Vt sitis, vtq; omnis domitus fuit ardor edendi,
  Omnis & ex animo cura remissa fuit.
In dulces venere iocos, quæ prima Puella
  Moribus, & forma, queq; secunda foret.
Lis feruet, nunc hæc, nunc, & proponitur illa
  Quilibet, & causam, quam tueatur, habet.
Dumq; ea res agitur passim, & populariter; infert
  Se pugnæ Sextus, taliaq; ore refert.
Nil agitis, vana est omnis contentio, lites
  Tollite, nam cunctis anteferenda mea est.
Hæc candore niues, candoreq; Lilia vincit
  Hac, & candidius non habet Indus ebur.
Auroræ digitos Iunonis bracchia dices,
  Ceruicem Veneris, Palladis esse comas.
Singula non opus est narrem, dignissima laude
  Cum sit, deficeret laus mea, laude sua.
Maiorem conspecta fidem, collataq; reddet,
  Sed nemo est, alter certet, agatq; suam.

Dixit

Dixit ut hæc, omnes tenuere silentia; rupit
Sed Collatinus talibus illa modis:
Non hæc afferes, mea si tibi Sexte fuisset
Agnita, teque foret Iudice victa tua.
Non habet illa parem, sed non habet illa secundam,
Et sola in toto restitit orbe Dea.
Et formæ dotes castis virtutibus auxit.
Hæc duo per laudes conuenienter eunt.
Pallade non solum magis est, & casta Diana,
Casta sed est ipsa Virginitate magis.
Res bene non agitur verbis, bene rebus agetur
Res hæc, non istis insinuanda modis.
Quisq; suo tollamur equo; tendamus in Vrbem,
Iudicij finis, visaque litis erunt.
Sic ambo fieri statuunt, & dicta probarunt:
Nec mora, dixerunt aggrediamur iter.
Occiduas Phæbus iam iam vergebat in undas,
Lunaq; noctiuagos sollicitabat equos.
Iam frenis armantur equi, phalerisq; superbi
Insiliunt, pedibus discuriuntq; solum.
Iam fera terga premunt, & iam calcaribus urgent
Perque harmos sudor, spuma per ora fluit.
Festinant, fragilesq; terit leuis ungula glebas
Nubeq; puluerea noctis obumbrat iter.
Dumq; absunt, lentosq; tenent sua castra Maritos;
Desertusque suo coniuge lectus erat.
Iliadas dolor unus agit, sed ferre dolorem
Non unum est, fert hæc fortis, at illa furit.
Hæc se desertam, quamuis dolet esse Marito,
Lanifica tempus cogitat arte breue.

 Illa

Illa voluptati præbet dispendia lecti,
Accusatque moram, desidiamque viri.
At Sexti coniux non tam, queriturque doletque
Sed vino, & dapidus luxuriosa vacat.
Non sic ornari velut hæc abeunte Marito
Vlla solet coniux, adueniente Viro.
Tota domus valuis patet, & celebratur apertis
Et lætas ornat festa corona fores.
Moreque Bacchantum conuiuia turba frequentat,
Et longa sertis implicat arte comas.
Nunc agit, ut credas Labyrinthon obire, choreas,
Nunc ut Mæandri dixeris esse sinus.
Gaudia testantur cantus, Citharæq; Liræq;
Tibiaque, & molli cymbala tunsa manu.
Sæpe quidem obloquitur, mediam cingente corona,
Et stimulos animis addit acerba suis.
Si qua putat, nostri nostros meminisse Maritos;
Stulta erit, & dicam mente carere bona.
Scilicet his curæ est thalamo ne iniuria fiat,
Per quos peccandi maxima causa datur.
Si quis inesset amor, nullus liquisset amorem,
Aut posset lentas atteruisse moras.
Thura precesq; damus, Superosq; in vota vocamus;
Altera sed votis, quæ potietur erit?
Penelope longas pectebat pectine lanas,
Et textum telæ dissoluebat opus.
Vir dabat amplexus facilis tibi Diua Calypso,
Vel tibi Nausicaa basia longa dabat.
Non ego Pasiphaen lento imposuisse Marito,
Decæpto damno succubuisse boui.

Laudo

Laudo Clytemnestram, dum Fratris vindicat iram
Vir suus Egystum præposuisse Viro.
Non opibus petitur, spolietur ut Ardea raptis,
Sed nuribus, sunt hæ causa pudenda moræ.
Improba Romanis lex est affixa Puellis,
Coniugibus iunctas non sinit arma sequi.
Da Pythia pateram, vino iugulabo dolorem
Sed si non cessat, quod iubet ille sequar.
Dumq; ait hæc, dubito strepitus sit, dixit in aula
Aduenisse refert pallida serua Virum.
Culpa patet manifesta domus, & crimen apertum
Non datur ingenio, nec datur arte tegi.
Quid faciat? nil est quod non deprensa tueri
Audeat, atq; arte est Fœmina tuta sua.
Sicut erat, medijs audax venit obuia scalis.
Vestibus auratis, compositisq; comis.
Oscula disperdit collo suspensa Mariti
Et per nequitias, increpat usq; moras.
Ille nihil contra, sed uti de marmore signum
Hæret, & immotus lumina fixa tenet.
Me miseram exclamat, quod non blandiris, & à me
Auertis faciem, turbaq; lumen habet?
Quid sibi vult istud, quæue hæc feritatis imago
Quid rogo, quid factum est, quæ noua causa mali?
Num perij? num me cogis discedere tectis
An venit in Thalamos altera Nupta meos?
Ille refert contra, vereor ne iniuria Lecti
Hæc mihi sit per te perfida facta mei.
Hos habitus Meretrix residens in fornice sumit;
Quid vult hic plausus, quid celebrata domus?

Retulit hæc, isto tibi, quæ vox excidit ore?
Hei mihi concepit mens tua quale nephas?
Et cuiuis comer, si non tibi comor, & illo
Tempore; quo nullum lætius esse potest?
Omnis turba domum, quęcumq; frequentat, adiuit
Quo mihi, quoq; tibi grata sit ipsa dies.
Iam modo cum hesperias Phœbus properaret ad vndas
Iungereq; albentes Luna pararet equos.
Nuntia fama fuit, non certo authore, per Vrbem
Ad nos te celerem sollicitare viam.
Quid facerem? ieci Calathos, & Pensa, putremque
Vestem, regales in duo læta togas.
Turba frequens ad me venit gratata, recepi,
Et tandem optatis contigit hora meis.
Dixerat; ille fidem verbis adiecit, & inquit
Gratulor; errori parce Puella meo.
Tum se se ad socium laude, & spe captus inani
Verterat, & tumido soluerat ora sono.
Collatine; potest formæ, vel moribus addi?
Quid dubitas? culpam noscis, an ipse tuam?
Post hæc conuiuis, & discumbentibus egit
Grates, quod celebrent quod decorentq; domum.
Mox petijt Thalamos sola comitante Marita
Et longas illic atteruere moras.
Tum Collatinus cœco sub pectore secum
Hæc mouet, & tacita talia mente refert.
Heu quantum simplex credit sibi, dicat Asello
Esse aliquis pennas; ille volasse putat.
Inq; ignem versum suadebis feruere Pontum
Siccaq; quod multo pisce natatur humus.

Gratia Dijs error quod non mihi talis inhæret,
Quod videt, atq; aliquod mens mea lumen habet.
Deuoret ante velim caput hoc telluris hiatus;
Quam paterer, talis si mea visa foret.
Sit Læda, & Lædæ natis formosior ipsis,
Turpis erit, si non moribus illa bona est.
Andromadæ placuit, non quod formosa fuisset,
Sed quod casta fuit, quodq; pudica, Deo.
Nemo vnquam castris vixit dementior illo
Quæ fecit, patitur crimina iure suo.
Ominibus sit nulla fides, nec pondera verbis;
Verba licet soleant pondus habere mea.
Hic erit eiectus Regnis & Regibus addet
Exilium, & nusquam nomina Regis erunt.
Sic video, sic sunt mores, sic impia poscit
Vita, malis finis non solet esse bonus.
Dum sic ille refert, portæ patuere cubilis,
Redditur, & coniux coniuge iuncta suo.
Assidunt, franguntq; Thoros, & pocula siccant;
Mox surgunt, epulis, ut domuere famem.
Sextus ab his, nihil est, quod Collatine moremur.
Res acta est, celeres iam relegamus iter.
Contendisse pudet scio te, tacitusq; fateris
Conuictum, & grandis stat tibi corde dolor.
Iam disces nunquam ludibria velle tueri
Pro causa, & iusta stat ratione Deus,
Dixerat; & contra quot dixit verba recæpit;
Dum mandata dabat, dumq; parabat equum.
Q id tibi grataris, media quid lite resultas?
Non dum deprensam stringere credis auem.

Heu

Heù quantum refert, & habere, & habere putare
Quod ſedet in gremio dixeris eſſe tuum.
Propoſitum teneamus iter, Collatia longum
Non eſt; iudicium certus uterque dabit.
Dixit, dicta probant, & fœdera prima ſequuntur;
Et ſe victorem quilibet eſſe putat.
Educuntur equi ſpumantia fræna capeſſunt,
Terga premunt, urget calcar utrumq; latus.
Et via dum teritur longo ſermone leuantur,
Nunc hoc, nunc illud, quod loquerentur, erat.
Ora decem, linguæq; decem, corque eſſet ahenum,
Et mihi vox nullo deficienda ſono.
Non poſſem memorare tuas Lucretia Laudes
Et formam, & vitæ facta probata tuæ.
Quis faciem, moreſque tuos Lucretia dicet?
Dicat, erit maior laus tua laude ſua.
Cuncta mihi de te greſſus ad carmina præbent
Difficile eſt illis ponere poſſe modum.
Inſanum aſcendi pelagus, iactorque profundo
Nec ducunr remi, vela nec ulla ratem.
Non vires animo reſpondent, deficit auſis
Spiritus, & tanta vix valet ire via.
Et nimium timeo (tanta eſt præſtantia formæ)
Ne lædam ingenij debilitate mei.
Forſan ero nimius, tarduſque coronide longa;
Hanc videas, & me dixeris eſſe breuem
Pro me ſi quondam Muſæ ceciniſtis abunde,
Nunc canite, & docta plectra mouete manu.
Nam res hæc veſtro non eſt indigna fauore,
Conueniens vobis nil magis eſſe poteſt.

Moribus

Moribus ornari tantis, non contigit ulli
  Et nulli formæ dos data tanta fuit.
Quicquid conspicuum, quicquid laudabile totus
  Orbis habet, dices, hæc habet vna sibi.
Exemploq; caret formæ decor, & decor alter
  Virtutis, nihil est par ve, minus ve parum.
Gorgoneis fuerant nullis hæc ora Puellis
  Hic & Smyrnęis non fuit oris honos.
Quæ lumen rapuit spernenti, & reddidit illud
  Oranti, non est anteferenda mihi.
Non hanc Alcamenes, non hanc celaret Apelles
  Deficerent Zeusis, Parrhasijq; manus.
Hæc si iudicium Paridis subijsset in Ida
  Iudice vicisset te pari quarta Deas.
Hic tibi si vultus, faciesq; Aurora fuisset
  Non magis à Cephalo Procris amata foret.
Flecteret Hippolitum, sed non ut Phœdra rogaret;
  Tanta venustatis, dosq; pudoris erat,
Sola virum Tyria, Phrigium tenuisset in Vrbe
  Questa notis nunquam vela, fidemq; dari.
Deseruit solo Minoida littore Theseus,
  Hanc habeat, non hanc deseruisse velit.
Sic faciles Natura suas intexuit artes,
  Nil addi ut possit, diminuiq; nihil,
Effero; non aliqua succrescit gloria parte
  Deprimo; non aliqua gloria parte cadit,
Disce pudicitiam lento seruare Marito
  Penelope, & lanis sollicitare manus.
Disce tuæ mores formæ miscere pudicos
  Aspasia & nulli postposuisse velim.

Targeliæ ſpecies non eſt laudata, nec oris
  Gratia, quod multis ſe dedit illa viris.
Nullus amor formæ eſt, ſi non eſt iuncta pudori,
  In caſtoq; omnis forma pudore ſedet.
Mores forma petit, non eſt laudabilis illa
  Si non ſunt vno, formaq; moſq; loco.
Quicunq; Attæa, Doſandram vidit in arce
  Attæoſq; hortos, Alcameniſq; manus.
Quiq; Cnidi Venerem, qui Lemni vidit, & haſta
  Innixum è pario marmore vidit opus?
Quod fuit eximium multarum cogat in una,
  Fiat ut è multis una Puella bonis,
Vendicet ex alijs qualem decet eſſe colorem,
  Caſſandræ tenuem ſumat, & illa togam.
Si de Panthæis componas ipſe duabus
  Vnam, des ſoli, quodque habuere duæ?
Non erit ipſa tamen, nec tantum æquabit honorem,
  Neſcio cur nunquam gratia talis erit.
Nulli ergo ſimilis? nulli vel forſitan uni.
  Ipſa ſibi, faciet, ſi ſibi ſe ſimilem.

PACIFI-

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI LVCRETIÆ

LIBER SECVNDVS.

COnuenit hic formæ castos subtexere mores
Quæ dos vna sedet moribus apta bonis.
Nunc mihi pierio sacri de fonte liquores
Ora rigent, sacram nunc det Apollo lyram.
Par formę est illi Virtus, par grata pudoris
Maiestas, frontis, parq; seuerus honos.
Semper erat constans, nunquam delecta nouauit
Quod semel elegit, continuauit iter.
Perpetuum vitæ fertur seruasse tenorem,
Fortunamq; vno substinuisse modo.
Tristari nunquam visa est, gaudere nec vnquam,
Non ea mota malis, non ea mota bonis.
Coniuge siue foret fœlicior illa Metelli,
Infœlix Niobe seu magis illa foret;
Vnus erat vultus, casu mutata nec ullo,
Tristitiam nunquam, lætitiamque dabat.
Est illi incessus, qualis solet esse Dianæ,
Cum graditur Cynthi per loca læta sui.
Et pedibus tanta est concordi gratia motu,
Vt verè veram dixeris esse Deam.

Hic est omnis honos, oculos seruare modestos,
  Atq; acie grata turpè videre nihil.
Omnis in his cura est, his omneis addit habenas,
  Qua decet arte tenet, qua decet arte mouet.
Ad quemcumq; aciem flectit, deuincit amore,
  Cogit, & ut casta se pietate colat.
Nil vanum, aut fatuum memorat, vel inutile quicquam
  Nam didicit tantum seria lingua loqui.
Pro iusto, & vero fatur, mendacia vitat
  Non timor, aut aliquis dicere cogit amor.
Sic inerat mistus cum dulci sermo lepore
  Vt mellis dicas, quod fluit ore liquor.
Non quemquam ad risum, nec quemquam mouit ad iram
  In sermone graui tam graue pondus erat.
Est sonus ut pueri, cui non dum barba secatur,
  Vocis, non qualem fœmina virq; refert.
Exemplo æquarem, sed quis mihi comperit illud,
  Fabula non habet hoc, non habet historia.
Turpe foret Sappho, sociasq; adducere; Sapphus
  Turpiter hæc illis assimilata foret.
In nutu, motuq; graui, gestuq; Theano,
  Inque omni fertur dote fuisse minor.
Vna fuit non ars tibi, sed Lucretia mille,
  Singula quæ casti signa pudoris erant.
Hic poterit numeros, & honores artis habere,
  Et data sit rebus gratia quanta suis.
Qui Cœli Stellas, Lybiæ qui dicet harenas,
  Et pelagi guttas qui mihi dicet aquæ.
Orpheus Eurydicem cithara reuocauit ab orco
  Eque suis mouit saxa, nemusq; iugis.

Pisce

Piſce fuit pelagus per longum vectus Arion;
Hac etiam Amphion mœnia ſtruxit ope.
Non hæc iſta quidem miratur, & inuidet illis,
Si velit, his longe nobiliora poteſt.
Sirenum cantus vitauit ſurdus Vliſſes,
Si canit hæc, omnem tollet ab aure picem.
Si foret in varijs hæc oblectata choreis
Non hac mouiſſet doctius ulla pedes.
Iſta quidem voluit ſola ratione tenere;
Vſum doctrinæ noluit illa ſequi.
Docta erat, & doctè coniunxit græca latinis
Eloquij lingua flumen vtraq; fuit.
Et modo, vel Sophoclem, modo vel voluebat Homerum
Et modo Muſæum, Pindaricoſq; modos.
Vellera pectebet tenues imitantia nubes
Qualia Phrixeæ nemo negaret ouis.
Si pingebat acu, ſi fuſo fila trahebat,
Si telæ inſtabat, non niſi Pallas erat.
Texentem videat, ſe vinci dicet Arachne,
Nec conferre volet, quæ ſit in arte minor.
Hæcq; tuas fertur vidiſſe Semiramis artes,
Errorem multis dixit ineſſe locis.
Ecce vir ad bellum tendit, ſe mente Puella
Mouit, & eſt anima viſa carere ſua.
Conſternata tamen non eſt, animumq; Virago
Sumit, & angorem, triſtitiamq; leuat.
Nunc legit hoc, illud nunc, & dictata reponit:
Nunc pectit lanas, nunc trahit illa colum.
Et nunc texebat, radio nunc lina parabat,
Et tenues veſtes nunc variabat acu.

Adiungitq;

Adiungitq; operi noctem, famulasq; labore
Vrget nocturno sollicitare manus.
Fabula mulcet opus dulci narrata lepore
Et facit hæc, longum quod foret, esse breue.
Penelopen, rursus texentem stamine telam
Narrat, & ut textum dissoluebat opus.
Verbaq; deprensam non erubuisse dedisse,
Dum pia seruasset iura, fidemq; viro.
Pluraq; subnectit varijs descripta Poetis
Quæ foret in medium longa referre mora.
Dispensat modicæ tenuissima fila lucernæ
Exiguo stipes paruus in igne sedet.
Vestis erat vilis, sed non immunda, decensq;
Quam solet in vidua casta tenere domo.
Dum dat verba animo, dum spe se ludit inani
Tot noctes, & tot præteriere dies.
Humida nox tandem subit ultima, sidera Cœlo
Quæ steterant medio, sub Mare lapsa cadunt.
Ecce vir accelerauit iter, finemq; labori
Fecit; & à fessis frena remouit equis.
Venerat, & portas iam prætentabat adire
Clausa erat, & nulla parte adeunda domus.
Hìc ego non aditus video mihi, dixit, ad illam
Altera tentanda est (si licet ire) via.
Sexte veni, insinuemus iter, si forte subirem
Parte alia, non hac parte subire licet.
Hortus erat paruus domui conterminus, illum
Seruabat Baucis cura fidelis anus.
Huc venit, paruasq; fores pulsauit; at illa
Surgit, & hos illi reddit acerba sonos.

Quisquis

Quiſquis es, hinc abeas, ne triſte per Ilia ferrum
  Tranſeat, hinc abeas, ne moriare miſer.
Effuge, per rimas venit in tua pectora telum.
  Effuge, non Domina eſt ſollicitanda mea.
Tum Collatinus prohibes me Baucis, & in me
  Iſta iacis? non me noſcis inepta? refert.
Agnouit tandem Dominum, gaudenſque, tremenſq;
  Me miſeram exclamat ſedula Baucis anus.
Me miſeram rurſus geminat, poſteſque reſoluit.
  Ingreſſus tacita voce ſilere iubet.
I præ, nos ſequimur tua poſt veſtigia furtim,
  De nobis Dominæ, nilque referre velis.
Paretur, latamq; per hortos itur in aulam,
  Altaque per ſcalas, & loca ſumma petunt
Hic ferro, & duro firmatæ robore valuæ.
  Stabant ſub multa claue grauique ſera.
Has illa impellit, teritur mora longa, nec vllæ
  Redduntur voces, & ſiluere fores.
Impellenſq; iterum Baucis ſum dixit, & illa
  Fida tuo lateri iuncta comeſque thori.
Tum Pholoe, quæ prima tibi Lucretia ſeruit
  Laxat, & accepta eſt, & data grata ſalus.
Tres ſimul admittit, licet unam admittere credat
  Inſcia per tenebras, & loca cæca domus.
E thalamo in thalamum, thalamum tenuere ſupremum
  Verba prior Dominæ talia Baucis ait.
Ecquid tam longæ producis tempora noctis?
  Ecquid non ſomnus teque, quieſque tenet?
Inter opus famulæ nutant, & fila remittunt
  Et cadit à digitis fuſus, & orbe ſuo.

Sicca

Sicca lucerna ſuum rurſus ſibi poſcit oliuum.
Et pręter cineres nil habet iſte focus.
Illa trahit lanas, & fuſum pollice verſat,
Dum trahit, & verſat, talia voce refert.
Hactenus eſt per me non ulla lacerna Marito
Miſſa meo, mox eſt hæc facienda mihi.
Ille quidem noctes caſtris vigilabit amaras,
Et me ſopitam ſomnus habebit iners?
Scilicet, & dura galea premet ille capillos?
Puluinar ponam ſub caput ipſa meum?
Non ſuper & ſatis eſt, quod tectis contegor iſtis?
Illum ſub dio frigus, & imber agit.
Ardea quid noſtros remoraris lenta Maritos?
Quid noſtros retines Ardea lenta Viros?
Quo magis obſiſtis, quoq; es magis ipſa rebellis
Hoc tibi ſupplicium, pœnaq; maior erit.
Et mora lenta facit, timeam quodcumq; timeri
Fas eſt in caſtris, in dubijſq; locis.
Forſan habet, nec plus de me nunc cogitat ille,
Iamq; habeat, ſoſpes ſit tamen ille precor.
Vel forſan pugnat, pugnandoq; cæpit ab Hoſte
Vulnus, & abſentis Coniugis optat opem.
Ferre tibi nullam poſſum ſummota ſalutem,
Non iſtic, Coniux quæ dare poſſit opem.
Forſan, & effuſo fundit cum ſanguine vitam;
Impia quid dubito te moriente mori?
Plura dolor vetuit, gemituſq; è pectore rupit,
Et ſubitis lacrimis immaduere genæ.
Mox geminos triſti langore ſoluta lacertos
Implicuit genibus depoſuitq; caput.

Tum

Tum vir, viuit, ait, venitq; & bracchia collo
Iecit, & attonitæ basia mille dedit.
Vtq; animus redijt, se se reiecit in illum,
Et dixit; venit spes mea, vita mea.
Protinus induitur facies noua rebus, & omni
Parte refert hilaris gaudia læta domus.
Mox epulis onerant mensas, vinoq; coronant
Crateras, positis inijciuntq; manus.
Vt domuere famem dapidus, Bacchiq; cupido
Dempta fuit; medio mensa remota loco est.
Surgit Athis, quo non iuuenum prestantior alter
Forma, nec Cithara doctior alter erat.
Plectra mouet, doctisque adiungit carmina neruis:
In dubio est melius voce, vel arte canat.
Ille canit Venerem, tenerique Cupidinis arcus,
Et facit ante omnes regna tenere Deos.
Cumq; satis cecinit, vel quod cecinisse deceret;
Substitit, & fuerant fila remissa Lyræ.
Ornantur thalami, pictisque aulæa figuris
Sternuntur, somnum tempus, & hora monet.
Præcedit lumen Dominos, mollique dedere
Membra thoro, somnus non tamen unus erat.
Nocte oculis somnum Sextus non vidit in illa,
Et nulla potuit parte iacere thori.
Vritur, & cœco regnant in pectore flammæ,
Liquitur, ut nimium proxima cera foco.
Liquitur, ut glacies cum stringitur illa calore
Solis, & à tepido cum tepet aura noto.
Ardet, & ut siccæ, cum ventus spirat, aristæ;
Sub quibus accensus subditus ignis erat

Sola graui fixa eſt animo Lucretia mente,
Hæc ſedet, atque oculos hæc natat ante ſuos.
Illam ſuſpirat, miſer illam ſperat, & optat;
Ire ſub amplexus, ſub tepidoſq; ſinus.
Nunc fingit medijs illam vincire lacertis,
Et nunc purpureis baſia ferre genis.
Nuncq; iacere thoro, nunc toto corpore iungi,
Et per nequitias, & ſua vota mori.
Sæpe quidem repetit ſecum, quæ uidit in illa,
Et meliora etiam, quæ latuere putat.
Sic inquit ſtabat, ſic inquit, & illa ſedebat,
Sic & erant ſparſæ, per ſua colla comæ.
Taliaq; amplexo reddebat uerba Marito,
Sic manus, & digiti, ſic erat oris honos.
Quoq; magis loquitur, tanto magis uritur igne,
Et magis accendunt ira furorq; faces.
Vexando plus creſcit amor, geminatq; furorem.
Vt pyra ſuccenſo, ſi quis in igne mouet.
Quid faciat? Male fert, nec tantum ſubſtinet ignem,
Feruet, & ardentes iactat ut Ætna globos.
Dum ſic inſanit, ſtimuliſq; agitatur amaris,
Nox cadit, & ſurgit lampade clara dies.
Exierant thalamis, cum Collatinus; eundum eſt:
Vtile non hic eſt atteruiſſe moram.
Vidiſti, ſed dic quæ ſtet ſententia menti;
Dic mihi iudicium (te rogo) Sexte tuum.
Vincis ait, fateor, nec me ſententia fallit
Vera loqui fas eſt, res mea uicta tua eſt.
Vincis, & es fœlix hac Collatine Puella;
Solus es ante homines, ſolus es ante Deos.

Quam

Quam Phœbe cedit, quam cætera ſidera Phœbo,
Tam mea, tam cedit cætera turba tuæ.
Poſt hæc dicta, ſuis poſuere ſilentia verbis,
Qua venere parant velle redire via.
Accingunt enſes, pedibus talaria iungunt
Calcar equis ſubdunt, & ſua caſtra petunt.
Illic Sextus equo poſtquam deſcendit ab alto,
Emenſus rurſus per quod abiuit iter,
Cuncta cognoſcit, numerumq; recenſet, & arma
Diſponit, cæſa Caſtraq; luſtrat oue.
Inde ſui incertus paulum ſubſedit, & ardens
Elegit tacitum, ſepoſitumq; locum.
Et ſecum; ſi ſum Sextus, ſi vera propago
Tarquinij; Mater ſi mihi vera fuit,
Nunc hæc ipſa dies dicet; formido, timorq;
Arguit imbellem, degeneremq; virum.
Hac potiar, ſeu forte volet, ſeu forte negabit:
Ipſa, mihi ingenium quale ſit, acta probant.
Ante tamen, ſed vim blande tentare ſolemus;
Tentarem blande, ſed mihi turpe foret.
Quid timeam? Patrem ne ſenem, reſidem ne Maritum,
Aut mentem Bruti, ridiculumq; caput?
Imperium Patris eſt, cuius pars maxima noſtra eſt,
Tot Fratres, tot opes, viſq; manuſq; mea.
Surgit ab his; lateriq; furens accommodat enſem,
Atq; eques inſano verbere vexat equum.
Parua mora eſt, ad te properans Lucretia venit,
Occiduas Phœbus quando ſubibat aquas.
Hunc mente, atq; animo, tectoq; ignara recepit,
Quod fons ambobus ſanguinis vnus erat.

 Vir,

Vir, primum petijt, veniat, mox sospes an esset,
  Inde, fuit subitæ quæ bona causa viæ.
Ille malus simulans falso sic pectore fatur.
  Et vultu, & gestu vera referre putes.
Vir tuus est sospes, lætaq; & sospite vita;
  Venisset, sed non publica cura sinit.
Ardea quod nostra est, tibi nondum venit ad aures,
  Et quod Romana sub ditione iacet?
Illis indicit leges, & iura reformat,
  Armaque disponit, præsidiumq; locat.
Multorum hæc illi res est non longa dierum,
  Hic tibi (ne dubita) per breue tempus erit.
Ad summum, vel bis, vel ter discedet olympo
  Lucifer; huc aderit, non erit ulla mora.
Huc ego diuerti, quo primus nuncius essem
  Quid valet, & spatio debet adesse breui.
Dixerat illa oculos paulum tellure leuauit,
  Verbaq; melliflua talia voce refert.
Sit quæcunq; tibi veniendi causa, recæpta est,
  Et nihil hoc animo gratius esse potest.
Venisti; venisse meum iam credo Maritum,
  Te quod amore puto Coniugis esse loco.
Hæc signanda mihi est, interq; notanda Calendas,
  Hæc est ante omneis vna locanda dies.
Ardea victa iacet tandem; sic imprecor illis,
  Quæ gaudent longo Marte tenere viros.
Succedas, sint tecta licet non digna, minores
  Et Superos fertur sæpe subisse casas.
Et si res, & opes nobis Fortuna negauit,
  Supplebo vultu, fronte iuuabo bona.

Sic

Sic ait, ille aulam primum ſubit, inde repoſtum
   Depictum aulæis, delitijſq; locum.
Veſte leui, variaque ornata in ſede locatur,
   Suſtentat geminos molle ſedile pedes.
Prebæt aquam manibus Pholoe, ſubditque lebetem
   Argenti, aurato vaſe cadebat aqua.
Mox leuem extendit menſam, Cereremque miniſtrat,
   Et Bacchum, Baucis gratificata dapes.
Tum rurſus placidam rupit Lucretia vocem,
   Et blando tales ſoluit ab ore ſonos.
Hos quoſcunque cibos non dedignabere Sexte,
   Importuna nocent tempora, noxq; mihi.
Improuiſus ades, potui non plura; neceſſe eſt
   Subſtineas; & ad hæc te patienter habe,
Meq; velim credas magis inſeruire Marito
   Nolle meo, cum ſis iunctus amore pari.
Ocia ſi nobis vnquam meliora dabuntur,
   Cognoſces animo, menteq; qualis ero.
Hæc vbi dicta dedit, ſeruis vtrinq; duabus
   Cincta petit thalamos dia Puella ſuos.
Mens fuit attonito rapere, & rapuiſſet euntem,
   Si non fixiſſet prodere nocte thorum.
Quid non audet amor, quod non veſana cupido,
   Cum iacet extinctus cum pietate pudor?
Aſtringit cohibetq; graues, cæcoſq; furores,
   Sed grauius tecto creſcit ab igne focus.
Quo magis ardentes cælat ſub pectore flammas;
   Hoc magis inſanis ignibus hæret amor.
Dum poſitas capit ille dapes, per pocula iurat
   Nulla mihi ſitis eſt, nulla fameſq; mihi.

Bauci

Bauci rogo has epulas fieri mihi nigra venena,
Si possum lenta me retinere mora.
Rumpor, & hos gemitus, rumpi quos pectore sentis,
Quæ facit, est oculis carior illa meis.
Illa etiam de me forsan nunc cogitat Vxor
Quæ mihi tam iuncta est, tamq; remota mihi.
Hæc ait, & crebri gemitus sunt verba secuti
Tollaturque inquit mensa, thorumq; para.
Tum Baucis; Pholoe mensam lege; sterne cubiles;
Dixerat, & Sexto talia verba refert.
Sexte tibi credo; manifesta, & magna doloris
Das signa, & video te miseranda pati.
Accidere ista solent his, qui pietate coluntur,
Ex illis, si quem casus abesse iubet.
Cum sereret terras, segetes cum falce secaret
Vir meus, absenti causa doloris eram.
Verè nouo, calabris cum iam redijsset ab aruis
(Namque illic hyemis tempore pauit oues).
Non his iurauit requiem vidisse diebus,
Semotus nostro, quod suus esset amor.
Proximus es voto, via non tibi longa paranda est,
Inque tua sistet te breuis hora domo.
Interea placidæ præbe tua membra quieti
Et curas alto solue sopore tuas.
Post hac extemplo Baucis Pholoeque recessit.
Hic seruat, quæ sit temporis hora sui.
Composuitque fores, sed nec compago coibat,
Vt videat, quo se res habet ipsa modo.
Sic solet Accipiter fruticosa in sepe latere
E saltu spectans, si qua volaret auis.

Sic Lupus è ſtabulo cuſtodit, ſi qua capella
Prodit, ieiunum quem ſua Sylua tegit.
Quid voluis ſcelarate animo, quid pectore uerſas
Impie, quod tractas peſſime mente nephas?
Es ne capax tanti ſceleris? Potes iſta tenere
Pectoribus? Nec ad hæc mens tibi, corq; cadit?
Trade igni Natos, Patrem, Patriamq; tacebo.
Non hoc audito crimine mutus ero.
Non pudet hoc, quoniam pudor eſt tibi nullus, & audes
Effera, qui ferus es, qui ratione vacas.
Stulta, & vana facis, ſtultuſq;, & vanus haberis;
Inſipiens cum ſis, nil ſapienter agis.
Omnia cum ſtolidè facias, ſtolidiſſimus ipſe es
Inque tuo nullum pectore, pectus habes.
Tantorum ultricem ſcelerum dabis improbe pœnam,
Vltores urgent poſt tua terga Dei.
Vaticinor, moueorq; Deo ſcelerate iacebis,
Membraq; diſperges mille reſecta locis.
Et finem impones Regnis, & Regibus ipſis
Res erit in tantis utilis vna malis.
Illudis Bruto, quæ ſit Sapientia neſcis,
Falleris, hic tanti criminis ultor erit.
Aurea donauit Phœbo, non futile lignum
Cuiq; dedit primus baſia, Mater erat.
Conſul Natorum ſuccidet colla ſecuri,
Ante ſuos oculos Natus vterq; cadet.
Sæpe bono nocuit ſcelerati nomen habere,
Sed Collatino poſſe nocere queror.
Ille tui Fratris pectus transfiget Aruntis,
Cura nec vlla ſui, dum cadat hoſtis erit.

Nil te tot populi, nil coniurata iuuabunt
Arma, licet cuncti legeris Orbis opem.
In Castris scelerate tuis male fortis habebis
Tartareas furias, sed pia Roma Deos.
Iam finem imponet bello, soluetq; furorem
Antium, ad extremam sit licet acta famem.
Hic Titus occumbet, pectus transfixus, & harmos;
Pilaq; thoraces transadigentq; latus.
Supplicia emeriti sceleris tum debita solues,
Et lacer in partes mille resectus eris.
Tu Pater hoc viues, videas extrema tuorum,
Et te desertum dura, & acerba pati.
Exul, inops, errans, infelix, orbus, egenus,
Iam senior nulla suscipiere domo.
Vixq; dabunt Cumæ tectum miserabile, sub quo
Te tua destituet tempore vita breui.
Iamq; duæ partes restabant noctis, & vna
Lapsa sub hesperias de tribus iuit aquas.
Illa tamen lanas, & adhuc sua fila trahebat,
Inq; suum famulas sollicitabat opus.
In tecto paruo gallinas hortus habebat,
Quæ tegeret tectum, canna palustris erat.
Illas agressa est illo sub tempore vulpes
Nunc hanc, nunc illam mordicus urget auem;
Fit turba, & stridor seruas, Dominamq; citauit;
Sic ut erant surgunt, auxiliumq; parant.
Armatæq; colis, radijsq;, & pectine currunt
E thalamo; meminit claudere nulla fores.
Occupat ille celer thalamum custode vacantem;
Sedit sub tacito, delituitq; thoro.

Gallinam

Gallinam inueniunt laceram, & ceruice resectam,
Et læsus grauiter vulnere gallus erat.
Bauci tua est omnis, dixit Lucretia, culpa,
Vespere non fuit hæc clausa fenestra tibi.
Nil curas, nulla est rerum tibi cura mearum;
Damnosa, & rebus pestis es una meis.
Hanc deplumato cras, & sub mane parato,
Hunc refice, & vulnus qualibet arte foue.
Post hæc dum repetunt penetralia; mœsta sub ipsis
Postibus offenso labitur illa pede
Vt tamen erecta est famulis adiuta duabus,
Dixerat, in cassum, Dij precor, omen eat.
Vt verò suberant, & iam loca prima tenebant
Sic est ad famulas illa locuta suas.
Cessemus, sistamus opus, componite lina,
Molliaque in Calathis pensa locate suis.
Hac facerem nil nocte boni, mihi pessima surgunt
Omina, dant aliquod signa sinistra malum.
Quid toties gemuit nostris fera Noctua tectis?
Et quid scintillas sæpe lucerna dedit?
Et cecidi, & nox hæc damnum dedit, omnia terrent
Nescio quid timeat, mens tamen ipsa timet.
Ite. Ego tentabo, moli si forte cubili
Incertos possim tollere corde metus.
Ante diem repetemus opus, desertaque pensa;
Non expectata surgite luce thoris.
Dixerat. Hæ parent, dumq; hæc vult claudere, portæ
Ingemuere, manu decideratque sera.
Ter conata fuit, vix ter conata reduxit
Inter se iunctas, composuitque fores.

Quo pia ſimplicitas fraudi ſubiecta, doloq;
Laberis? Excurris quo generoſa fides?
Hei mihi quo raperis? Quo te trahit inſcius error?
Hei mihi, quod tecum clauditur, Agna, Lupus.
Quid facis? Heù neſcis, non hic es ſola, ſed hoſtis
Eſt tecum, & peſtis dira, & acerba lues.
Subde faces tectis, ſæuis trade omnia flammis,
Nam latet hic, & Spinx, tartareuſq; Canis.
In thalamo locus vnus erat, teſtudine parua
Seductus paulum, Relligione ſacer.
Hic erat Ara ſuo modico licet, attamen apto
Digna loco, miris, & ſpecioſa modis.
Hic Superum Regina Deum, Naturaq; rerum
Stabat cælato marmore diues opus.
Mille modis potes hanc, & mille notare figuris,
Hæc vnum vario nomine Numen habet.
De multis vno, ſi nomine dixeris Iſim
Verus es, Ægyptus ſic ſua terra vocat.
Molliter intorti pendent per colla capilli,
Diſtringit vario flore corona comas.
Imminet his ſpecies Lunæ falcata bicornis
Qualem Sol diſtans per duo ſigna videt.
Et variata refert varios Pretexta colores,
Nigraq; reſplendet Palla nitore nigro.
Perq; oras Stellis extremas nexa coruſcat
Fimbria, ſemeſtris Luna coronat opus.
Ambitus inſignis pomis, & floribus errans
Perpetuo nexum circinat orbe ſuum.
Dextra recuruati Siſtrum librauerat æris,
Dat tenues ſonitus excutiendo manum.

Ex auro fuluo cælatum leua retractat
  Cymbium, & amplexa eſt anguis ut anſa latus.
Ambroſiæq; pedes ſoleæ nidore tegebant
  Quos victrix viridi vimine palma ligat.
Hanc ſibi tutelam Lucretia legerat olim,
  Quam coleret precibus, cui ſua dona daret.
Affixitq; illi votiuas ſæpe tabellas,
  Et primas fruges, primaq; poma dabat.
Et quicunq; ſuis primus flos eſſet in hortis
  Ibat in ornatum, Lilia, ſiue Roſa.
Hanc adijt velata caput, ueſteſq; recincta,
  Sicq; rogat; nec ſic illa roganda fuit.
Summa Deum genitrix, quæ Fata, & fila retractas
  Parcarum, in uanum, quæ facis omen eat;
Si precibus gratata meis quandoque fuiſti,
  Nunc, ò nunc uotis annue Diua meis.
Mille dedit mihi ſigna Deus præſaga malorum,
  Milleque me turbant omina mille modis.
Multa licet timeam, tamen vnus maximus urget
  Me timor, & non eſt hic mihi morte minor.
Te precor iſta meo ſoli portenta Marito
  Ne noceant, nullis officiantq; malis.
Inq; caput conuerte meum, ſi pondus habebunt;
  In me nil, ſaluo Coniuge, poſſe puto.
Hic precor, vt redeat tantum mihi ſoſpes, & omnis
  Hæc deſiderij ſunt mihi vota mei.
Sic orata Deam; vidit ſudore remitti,
  Et lachrimis ſacras immaduiſſe genas.
Horruit, & guttas certat ſiccare, ſed illæ
  Siccatæ rurſus ſacra per ora cadunt.

Visa tamen caput est mouisse, & vota probasse,
Sed facit ambiguam, spesq; metusq; fidem.
Subsedit non certa sui, paulumq; morata
Sperandum est, inquit, Dij meliora velint.
Se leuat, & minima vestes ardente lucerna
Ponere discinctas, & spoliare parat.
Sextus idem non segnis agit, se liberat omni
Veste, sed in dextra feruidus ensis erat.
Vt se nudarunt, petijt Lucretia lectum,
Exclamat Sextus; vicimus, esque mea.
Quando tonat, si nunc totus non intonat Æther?
Quando cadunt, si nunc fulmina nulla cadunt?
Exilijt; trepidamq; vrget; tenet altera pectus,
Altera nudato fulgurat ense manus.
Illa tremit, pariterq; animum, mentemq; reliquit
Muta silet, nullos vox dat ab ore sonos.
Accipitrem sic capta solet trepidare columba,
Agnaq; cum capta est, sic trepidare Lupum.
Quid faciat? Contra ne Virum pugnare parabit
Fœmina? Non gerit hæc arma, sed ille gerit.
An Superos, homines ne vocet? Vetat ensis vtrumque
An fugiat? Cohibet, nec sinit ire manus.
Vtq; animus redijt, seque ut terrore pauentem
Collegit, tremula talia voce dedit.
Quis furor hic, quis casus egit, quæ causa, quis ipse es
Quid merui mortem, quæ mea culpa parat?
Rettulit ille ferox. Sextus Lucretia tecum est,
Tempus & in longum, si patieris erit.
Ne dubita, viues, placeat modo viuere, vita,
Et mors arbitrio est, in manibusq; tuis.

Et

Et me non casus, nec me furor egit amantem,
Si non est aliquis iunctus Amore furor.
Composito veni, veniendi causa fuisti
Tu sola optati pignora certa mei.
Iungeris si sponte mihi, votoq; fauebis,
Non tibi pro meritis præmia parua dabo:
Vxorem perdam ipse meam, tu perde Maritum;
Vxor eris tanto coniuge digna Viro.
Mox Pater ocumbet, Regni mihi iura dabuntur,
Deque tribus non sum Fratribus ipse minor.
Addo preces etiam, precibus succumbe rogata,
Sit precibus stultum poscere te, quod habes.
Quod si nec pretio, precibus nec flecteris ullis,
Menteq; durata si mea vota negas.
Ense vtar, mediumq; ibit per guttura Ferrum
Elige utrum mauis viuere, siue mori.
Nil ait hæc, nisi malo mori, iugulumq; parabat
Ad gladium, & gladio colla secanda dabat
Et tamen esse aliquos Superos mortalia credunt
Pectora, sed si sunt, talia facta vident?
Tum ferus ille refert, hæc te temeraria fallit
Vox tua; legisti deteriora tibi.
Inspice, quæ mors est, & quæ post damna sequentur,
Mortis delebunt secula nulla notam.
Te perimam, tecum, seruumq; locabo peremptum.
Turpiter ille tuo corpore iunctus erit.
Ipse ferar iustus deprensi criminis ultor
Coniuge proq; tuo, sanguine proq; meo.
Proijciere feris, canibusque, auibusq; trahentq;
Viscera per dumos, duraq; saxa Lupi.

Illa nihil contra, ſed ceſſit victa pudore,
Et voluit famæ conſuluiſſe bonæ.
Tum Sextus poſito rapuit ſua gaudia ferro,
Exultatq; ferox, & ſua vota tenet.
Nec tonat, obſcuro fugiunt, nec ſidera Cœlo?
Nec redit in primum terra ſoluta Chaos?
Nulla ergo Dei mortalibus addita rebus
Cura, vel eſt ſolum nomen inane Deus?
Eſt Deus, & lentus punit, ſuntq; omnia curæ
Pœna tamen ſolet hæc, lenta ſit, eſſe grauis.
Exemplumq; dedit ſcelus hoc, vindictaq; tanti
Criminis, & probat hoc quanta ſit ira Dei.
Ille ergo exultans, votoq; potitus iniquo
Gaudia vix animo, menteq; tanta capit.
Et tandem gaudens repetit ſua Caſtra, ruinam
Ignorans quantam poſt ſua terga trahat.
Hæc multum infœlix, triſtis, lugubris, & amens
Surgit ab infauſto nocte cadente thoro.
Heu quantum nunc hæc Lucretia diſtat ab illa,
Surgere, quam vidit luce priore dies.
Induitur nigram Pallam velut orba Marito,
Paſſa comas teneras, vngue reſecta genas.
Inq; ſolo ſedit nudo, lachrimæq; per ora
Mæſta fluunt, rapida, ceu fluit amnis aqua.
Sæpeq; dat gemitus alto de corde petitos,
Et ſæpe obloquitur, ſæpeq; muta ſedet.
Nunc oculos immota tenet, nunc ſpectat acerbum:
Eſt aliquod dices, grande initura malum.
Ira dolorque licet vetet, hæc tamen ore locuta
Inter ſingultus verba tremente iacit.

Debuit

Debuit hoc nunquam Deus aſſenſiſſe, nec ulli
Permitti tantum ſubſtinuiſſe nephas.
Quid celebraſſe aras, ſacrataque templa Deorum
Profuit, & ſanctis thura dediſſe focis?
Quid valuit tenuiſſe meis penetralibus Iſim,
Et multis unam præpoſuiſſe Deam?
Quid mihi tam ſæuam contraxit Numinis iram?
Tam dirum meruit, quæ mea culpa malum?
Certe ego non memini quicquam admiſiſſe, quod omnes
In me debuerit ſollicitaſſe Deos.
Omnia perdideram, nam qui bona talia perdit
Nil hic, quod rurſus perdere poſſit, habet.
Nil reſtat, quod me ſuadet traducere vitam,
Inuitatque nihil viuere velle magis.
Inuideo extinctis, & quæ iacuere pudice,
Et doleo ante mihi non licuiſſe mori.
Alceſte meruit claram pro Coniuge laudem;
Morte ſua voluit, morte leuare virum.
Iura mei vlciſci dubito violata Mariti?
Hei mihi, quod mors hæc non ſatis una mihi eſt.
Surgit ab his, gladiumq; capit, quo fila ſecabat
Nodoſa, & telæ, quæ male texta forent.
Iam fuit aptatum nudo ſub pectore ferrum,
Vt ſuper incumbat, iam mora nulla fuit.
De Cœlo Pallas ſummo deſcenderat, illam
A tergo raptis detinuitque comis.
Obſtupuit, nouitque Deam conuerſa (vomebant
Ignem oculi) & ſoluit talibus ora modis.
Ec quid nata Iouis, veniſti forte videre
Hoc ſcelus, & fædi facta nephanda Viri?

An magis armatam contra mea viſcera, quamuis
  Vltio ſit raptæ nulla pudicitiæ?
Hæc illa. At Pallas, veni tibi, dixit, ut iram
  Excutiam ex animo, triſtitiamq; grauem.
Tu pare, è manibus telum iace, mente ſerena
  Verba cape, & memori pectore dicta loca.
Hæc paret, ferrumque iacit, mentemque ſerenat;
  Quo valet, & ſe ſe, meſta ſit, aure parat.
Proſequitur Dea nata Iouis, mollitque dolorem
  Et graue mellifluo mitigat ore malum.
A me cura tui penitus non excidit omnis
  Ex aliqua parte eſt, & meus iſte dolor
Me miſeret miſeranda tui, vellemq; nephandum
  In te committi non licuiſſe nephas.
Sic erat in fatis, veniſſemq; obuia fatis,
  Ni meliora magis, quæ ſequerentur erant.
Omnes Tarquinios perdet res iſta ſuperbos
  Libertatem Vrbi res dabit iſta tuæ.
Compoſito fingit Brutus ratione carere,
  Conſilium tacito pectore grande terit.
Hic erit, & Fratris, Patriſq; æquiſſimus ultor
  Hic etiam tanti criminis ultor erit.
Perq; tuum telum iurabit, & ille cruorem
  In Reges; Reges eijcietque foras.
Te q; feret feretro per compita lata viarum
  Corripiet populus protinus arma manu.
Et coniuratis per me ceſſabit ab armis
  Publius, & Marcus territus hoſte Deo,
Exilio errabunt, & fœda morte iacebunt
  Tarquinij Reges, Tarquiniumque genus.

Turpe

Turpe quidem seruam dominari in cætera Romam
  Libera si non est, non bene Regna tenet.
Turpiter extingui poteras, & crimen habere,
  Inq; ista nullus morte fuisset honor.
Si non detecto cecidisses crimine, forsan
  Hæc in te sceleris culpa relata foret.
Hoc age mandatis pare, fac omnia serues,
  Quæ moneo; menti sint bene fixa tuæ.
I celer ad Patris recta intra mœnia Romæ
  Sola, tamen currus qui regat, alter eat.
Nullaq; cura tibi, nec sit timor vllus eundi,
  Ibo comes, ne quis te roget, umbra teget.
Effusa ante pedes, genibusq; affixa rogabis,
  Vindicet, & cunctos aduocet ille tuos.
Moxq; tuos casus & tristia facta resolues,
  Hic tibi non animus, linguaq; corq; cadat.
Cum bene narraris, culpamq; retexeris omnem
  Tum tibi dispones, quæ sit agenda via.
Quo sit opus facto tecum, intra teq; voluta.
  Nil subitum ex animo, nil sine mente gere.
Consule tuq; tibi, ducta ratione, velisque
  Si non laude licet viuere, laude mori.
Sic affata leues se Diua resoluit in auras
  Hæc paret, sequitur consiliumq; Deæ.
Sic ut erat mediam thalamo processit in aulam.
  Versa est in luctus tota repente domus.
Flere vetat, non hoc lachrimas Lucretia dixit
  Poscit sanari, vix quoq; morte potest.
Ite citæ celerem currum, mulasque parate;
  Atque rotas, unum qui regat arte Senem.

Iussa citæ peragunt, currum, mulasq; pararunt,
Et duxere Senem, qui regat arte rotas.
Sepe rogant Dominam, quæ sint admissa, fateri
Et quodcumq; foret, ne reticere velit.
Inque omnes casus, ne ducere velle recuset,
Et comites vitæ, mortis ut esse sinat.
Rettulit illa; mali causam ne quærite tanti
Cognita res vobis, cum sciet orbis, erit.
State, grauem tacito tolerate in corde dolorem;
Sola vocor, mecum non comes esse potest.
Dixit, & ascendit currus, nulliq; videnda
Ibat tuta Dea, nubeque cincta caua.
Tempus erat nonæ, decimæq; quod imperat horæ,
Et quo subducit mensa secunda cibos.
Conuiuas vario Lucretius ore tenebat,
Verbaq; melliti plena liquoris erant.
Illic cognatos, & eodem sanguine natos
Legerat; illa dies, qua fuit ortus, erat.
Venerat, utq; ipsos subijt Lucretia postes
Effusa est Patris protinus ante pedes.
Genuaq; complectens lachrimis velut amne perenni
Irrigat, & gemitus ingerit vsque graues;
Obstupuit nouitate Pater, pariterque sedentes;
Porrectaque manu surgere iussit humo.
Me miserum exclamat, quid vult hic Filia luctus?
Quid vult hic habitus? Quid laceræq; genæ?
Quid passa es? certe viuit, sospesq; Maritus.
Est tibi; quodcumq; es Filia passa, refer.
Tum singultanti resecuta est ore Puella;
Hæc & per lachrimas, per gemitusque refert.

Si

Si meus es Genitor, ſi ſum tibi Filia, debes
Pro Nata Vindex criminis eſſe tua.
Ne contemne Pater; mea namque iniuria maior
Omni morte fuit, deteriorque malo.
Poſtulat hic rurſus, quod paſſa es? Quis fuit author?
Quis fuit hic? Pœnas mox tibi Nata dabit.
Dixit, & attonitus cupit hic audire, quid illa
Afferat, hæc illi talia verba refert.
Cuncta equidem referam, ſed tu tamen ante vocato
Iuſtitia fortes, & probitate viros.
Imprimiſq; meum, ſi ſum ſua Nupta Maritum
Si non rapta fui, tu tamen ante voca.
Fortius audebo, creſcetq; audacia facti,
Et magis ante illum facta pudenda loqui.
Dixerat hæc; Patri placuit ſententia Natæ.
Ne dubita, mox hæc expediemus, ait;
Protinus exurgit menſis, & verſus ad ipſos
Conuiuas triſti talia voce refert.
Ecquem infœlicem ſimilem vidiſtis amici?
Ecquem tam nimium dura, & acerba pati?
Hæc mea, iam fœlix quæ nobis eſſe ſolebat,
Verſa eſt in luctus, triſtitiamque dies.
Vnica Nata meæ ſolamen dulce Senectæ;
Hæc mihi iam cæpit maximus eſſe dolor.
Neſcio quo erumpet, nec quam dolor iſte ruinam
Ducet, erit certe non leue, quicquid erit.
Vnum ſæpe malum caput eſt, & mille malorum,
Ex unoque ſolent mille venire mala.
Eueniat. Grauis eſt dolor expectare dolorem
Pœna licet nunquam, cum venit, una venit.

 Ipſe

Ipſe videre meam (ſed quis putet) opto ruinam
  Ipſe videre meum (quis putet) opto malum.
At vos ne miſerum, ſi quid pietatis habetis,
  Linquite, præſtetis quamque poteſtis, opem.
Eſſe mihi cupio, Proceres, qui cogat ab Vrbe;
  Qui Collatino nunciet iſta meo.
Dixerat, & crebri gemitus ſunt verba ſecuti,
  Et lacrymæ æterni fluminis inſtar aquæ.
Rettulit, hic unus, ſeniorque, & maximus æuo
  Martius, hic & Vir forte ſororis erat.
Communis dolor eſt, nec nos minus afficit angor
  Hic tuus, ac etiam nos, & egemus ope.
Viuimus his Fatis, ut viuat nemo beatus,
  Si leuor hac, illa parte grauatus ero.
Si ſapis, & rerum tibi non incognitus ordo eſt,
  Hæc animo forti ferre, patique potes.
Filius iſte nouum properabit triſte Marito
  Ferre meus, veniet tempore uterque breui.
Per fora, perque vias, per compita lata recedam
  Ipſe ego, deducam, quos tibi poſcit opus.
Dixerat, & greſſu iam feſtinabat anhelo,
  At Natus celerem ſollicitabat equum.
Caſtraque iam petijt, iamque ad tentoria venit,
  Ore licet timido; iam data iuſſa refert.
Vt Collatinus mandatum triſte recæpit,
  Horruit, in toto pectore ſedit hiems.
Vt mens, utque animus redijt, mora libera non eſt,
  Dixerat, ad raptum ſeq; parauit iter.
Feſtinat, lentaſque manu dum quaſſat habenas
  Triſtior eſt moto, turbidiorque freto.

Nunc

Nunc animo verſat, flammam populaſſe Penates
 Nunc, aggeſta aliquem ſurripuiſſe bona.
Forſan conceptum iecit, vel forſitan illam
 Alterius noſtra vult Pater eſſe mora.
Aut hoc, aut ſimile eſt, nil hæc prętenditur ultra;
 Certe aliud nullum ſuſpicor eſſe malum.
Dumq; hoc, dumq; aliud verſabat mente, ſubiuit
 Lucreti mæſtam, luctificamq; domum.
Quid turba, & Patrum, dixit, ſibi poſtulat ordo?
 Sub pullaq; Vxor, quid mea veſte gemit?
Tum vero, vt terſit lacrymas Lucretius, ora
 Sic ſoluit gemitu, terq; quaterq; dato.
Heu, heu me miſerum ſic ad me Filia venit
 Infandum crimen paſſa, nephaſq; graue.
Et ſupra humani fines (puto) moris, & ingens;
 Immane, & ſolito grandius eſſe nephas.
Sed nunquam voluit, quid paſſa, rogata fateri,
 Hos niſi iuſſiſſem, teq; venire Virum.
Quicquid id eſt, tibi mox hæc ipſa fatebitur; audi,
 Dixit, ab his tacuit, deſtituitq; loqui,
Conſtitit in medio circum cingente corona
 Dura, nec ex animo decidit illa ſuo.
Terq; dedit gemitus, ter rupit vertice crines,
 Ter vetuit lachrimas ira, dolorq; dare.
Defixitq; oculos terræ, mox inde leuauit
 Sicq; ait; & tales miſit ab ore ſonos.
Te, te ſumme Deum Rector, Cœliq; creator,
 Te teq; æthereæ lucis Apollo Pater,
Et te Coniugij Iuno tutela ſacrati
 Teq; Iſis teſtor, ſis mihi ſurda licet.

Tentatam nunquam precibus, ferroq; minisq;
Concessisse animum, sed voluisse mori.
Vt se se ad vires vertit, quam fœmina possit
Pugnaui, iniectas substinuiq; manus.
Viribus absumptis iacui superata, nec ullos
Vox mea mortales, contigeratq; Deos.
Quis nostri euersor decoris fuit, ede sub auras
Vir rogat. Hęc dempta sic resecuta mora est.
Luce sub hesterna Sol se mergebat in vndas
Occiduas, non nox, non erat illa dies.
Tunc ego supremis Fatis bene rapta fuissem,
Et tibi tum potui, tum mihi casta mori.
Ille domum petij, tectoq; animoq; recepi,
Quod tibi iunctus erat sanguine, quodq; tuus.
Et pro Fortuna, pro re, pro tempore feci,
Quæ potui, cunctis gratificata modis
Secretumq; locum dedimus, quo sæpe recepti
Magnanimi tibi sunt, eximijque Duces.
Tertia pars ierat noctis, cum pensa canistris
Collegi, exaustos deposuique colos
Inque meo thalamo firmato, robore poste
Occludor, visum est ingemuisse solum.
Corpore deposui vestes subitura cubile
Vix subij strepitus fit grauis, ipsa tremo.
Ille erat; exclamat vici, tenet altera ferrum,
Altera compressit guttura nostra manus.
Victa Viri manibus fortis, sum fœmina mollis,
Non tamen, & mentem vicerat ille meam.
Non dum nomen habet, Vir clamat; rettulit illa.
Sextus is, in castris, qui regit arma tuis.

Omnia

Omnia turbauit, rapuit tibi debita lecti,
Iura, tuum pressit barbarus ille thorum.
Sed meus hanc labem cruor eluet, & dabo pœnas;
Me scelere, atq; anima me spoliabo mea.
Obstupuere omnes, stupuit Lucretius vna,
Et primus tali soluerat ora sono.
Quod scelus horrendum, scelerisque quod audio monstrum?
Proh recti pietas, proh violate pudor.
Ecquid non tonuit geminorum è parte polorum?
Hoc si non tonuit tempore, quando tonat?
Sed tu viue tamen, nil te violentia læsit,
Peccastique etiam (te renuente) nihil.
Committit mens sola nephas, & sola voluntas;
Peccatum est animi non proba cura mali.
Rettulit hæc; sanat ferrum insanabile cancer
Sanari læsus non valet arte pudor.
Non me supplicio soluam, si crimine soluor,
Exemplum nunquam turpe pudoris ero.
Dixerat, & rursus spectans animosa Maritum
Rapta inquit reddam me tibi morte mea.
Mox sua traiecit ferro, quod veste latebat
Pectora, & ante sui corruit ora Viri.
Huc vbi perueni, pars est tibi Nauita dixit
Facta, sed & restat pars facienda maris.
Et quantum à tergo, tantum iacet æquoris ante,
Littus, & ex æquo distat vtrumq; modo.
Hæc ait, & remos paulum intermittere iussit,
Et largas epulas, & bona vina dedit.
Vt rediere animi, viresq; refecimus, inquit;
Surgite, propositum perficiamus iter.

Coloti non eſt nimium mora libera nobis
   Aurora e ſtratis ſurgit, & aura vocat.
Poſcimur, en Zephyri ſpirant: date carbaſa ventis,
   Quiſq; ſuas remis inijciatq; manus.
Euolat vncta Ratis felicibus acta lacertis,
   Dij faciant ſidat littore feſſa ſuo.
Ecce meo ſcribi calamo iubet altera Virgo
   Et me propoſitum ſoluere iuſſit opus.
Dij mihi dent annos, mihi dent in carmine vires;
   De te iam noſtrum nobile ſurget opus.

PACIFI-

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI VIRGINIÆ

LIBER PRIMVS.

ACcipe propoſiti curas tibi caſta Libelli
  Virginia, & partem tu quoq; ſume tuam.
Prima licet non ſis, minus hic non laudis habebit,
  Paruaq; ſis; Liber hic non tibi paruus erit
Duxeris, & quamuis breuiori tempore vitam,
  Materiæ fiet non breuioris opus.
In te preclara eſt Virtus tua, gloria magna eſt
  In te, ſed quantam rara ſenecta tenet.
Quiſquis ades, primum legiſti forte Libellum
  Hunc lege, nam gratus non minus alter erit.
Gratus erit, quoniam iuncta eſt ſua gratia rebus,
  Ille placet, ſed & hic forte placere poteſt
Hanc vtero Mater cum ferret, ſępius illam,
  Somnia per ſomnos extimuiſſe ferunt.
Illa caput vidit geminum peperiſſe, ſed vnus
  Vultus erat triſtis, lætus & alter erat.
Et genuiſſe duas vno ſub ſtipite palmas,
  Vna gerit frondes, frondibus vna caret
Cumq; ſuo viſa eſt ſua viſcera coniuge paſci
  Eq; ſuo potus corpore ſanguis erat

Inq; ſuas ſegetes ſubmittere ſomniat ignes
   Somniat, & vites falce ſecare ſuas.
Et prebere lupo pecudes, & ouilia plena,
   Et querulas vulpi tradere chortis aues.
Hæc ſtupet, & ſacrę, quod poſcant quærere ſortes,
   Sacraq; quid poſcant quærere Fata placet.
Conſuluit Phœbum, redditq; oracula Phœbus,
   Plenaq; terroris verba fuere Dei.
Letitiæ tibi partus erit, tibi cauſa doloris,
   Gaudia nam pariter, triſtitiamque dabit.
Et peperiſſe voles, quod te peperiſſe pigebit,
   Impia te facies impietate piam.
Et Pater hoſtis erit caræ cum Matre Puellę;
   Tu cum Patre etiam Mater, & hoſtis eris.
Hæc ait; illa redit, narrat ſua fata Marito,
   Cor, mentem, ſenſum non habuere diu.
Dena reſurgebat reparans noua cornua Phœbe.
   Hæc ſibi Lucinam ferre rogabat opem.
Et timet, & ſperat, parituraque gaudet, & horret
   Neſcia quid pariat, ſpemq; metumq; premit.
Quos rogat, hos orat non exaudire rogantem
   Quos vocat, hos aures non adhibere Deos.
Quid potius faciant cogit neſcire vocatos,
   Auxilium ne negent, auxilium ne ferant.
Pallas adeſt, ſimulauit anum, ſimulataque dixit
   Verba, fidem verbis ſera Senecta dabat.
Atq; ait ò ſalue non iſto digna dolore,
   Ne timeas, rebus Filia fide tuis.
Ne contemne caput, docuit me plura vetuſtas,
   Mox eris à tantis libera facta malis.

Intel-

Intellecta tibi non ſunt præſagia Phœbi
  Nec tibi quæ dixit, facta fuiſſe vides.
Hoſtis es ipſa tui ventris, facis ipſa dolorem,
  Dum non vis faciles ad tua vota Deos.
Triſtitiamq; facis, dum gaudia lenta moraris
  Dum parere ipſa negas, impia Mater eris.
Annuit hæc, iterumq; Deos in vota vocauit;
  Mox vteri Mater facta remiſit onus.
Ipſa Dea æthereas reſoluta receſſit in auras,
  Ambroſioq; omnem ſparſit odore domum.
Accurrunt Muſæ primum, gremioq; tepenti
  Excipiunt, docto fonteq; membra lauant.
Oraq; melle rigant, & dulci nectare rorant,
  Et tenera imponunt laurea ſceptra manu.
Blandaq; perſpicuis diſperdunt oſcula membris,
  Gratia cum quibus eſt, & genialis Amor.
Sed dum blanditias, & dum pia dona miniſtrant,
  Neſcio quid querulum, triſteq; ab ore cadit.
Nebat oui Clotho non concedentia Phrixi
  Deſertura cito uellera parua Colum
Tum ſic. Vitales, quæ nunc primum accipis auras
  Viue, ſed hæc inerit tempore vita breui.
Non poteris ſupereſſe diu, tibi Fata negarunt
  Inuida per lungos viuere poſſe dies.
Diſpenſabo tamen tenui tibi ſtamina filo,
  Et qua te potero parte iuuare uolo.
Dixit, & auratum uertebat pollice fuſum,
  Leueque Fatorum lege trahebat opus.
Gaudet tota domus, reſonant citharæq; lirę;,
  Feſtaq; dependent plurima texta roſis.

Et varios flores, & candida lilia ſpargunt;
Pars tamen ex illis altera ſicca fuit.
Turba ſalutatrix palmas, atque oſcula iungit,
Fœlicem & Matrem cum Genitore vocat.
Infanti ſtat gratus honos ſpectabilis oris
Creditur, & geminas lumen habere faces.
Clarior argento eſt, fuluo fulgentior auro,
Lacteque candidior, candidiorque niue.
Mollior, & Cycno, caſta quoque purior agna;
Blandior hac etiam nulla columba fuit.
Digna erat in cunis lauro, poteratque videri.
Vates, dum mammas duceret ore rudi.
Sæpeque cum Matrem, cum Patrem ſæpe vocaſſet,
Beta ſibi dicta eſt Mater, & Alpha Pater.
Vix unum ad quinos annos intexuit annum;
Dices quod Venus hæc, quodq; Diana foret
Iuppiter hanc mallet ſpreto Ganimede miniſtram,
Mallet Pygmalion tale fuiſſet ebur.
Cum tribus hæc Paridi ſi ſe nudata fuiſſet,
Tris vna victas diceret eſſe Deas.
Mira ætas, & forma fuit; virtutibus auxit
Ætatis, formæ moribus auxit opes.
Qui numerat laudes, credet quod vixerit annos
Centum; terquinos non tetigiſſe ferunt.
Singula, qui refert, lybicas mihi dicet harenas;
Oceani guttas, & mihi dicet aquæ.
An tecum Fortuna querar, velut inuida rebus,
Quæ nihil ex omni ſcis dare parte bonum?
Hunc facies ditem, non auro utetur auarus;
Oraq; ſub medijs ſicca tenebit aquis.

Pauper

Pauper erit, ſed ſciret opus diſperdere pauper;
Nil habet, & lenta deperit ille fame.
Hic facundus erit, ſed multo forſitan illi
Vtilius nunquam, ſi loqueretur erat.
Iſte habet, & vires; animo caret iſte virili;
Hic animum, ſed & hic viribus æger eget.
Eſt aurum, & geminas plumbo committere, cum ſunt
Optima miſta malis, peſſima miſta bonis.
Perdit vtrumque ſimul, qui vinum miſcet aceto,
Qui fel cum dulci iungere melle volet.
Albaque cum nigris ſi quis confundit in unum,
Non erit ille niger, nec color albus erit.
Sæpe quidem in vanum facilis natura laborat,
Et cœptum raro perficit artis opus.
Hanc quoq; cum genuit, vires virtutibus æquas
Non dedit, & doti ferre negauit opem.
Mandauit fruſtra non culto ſemen agello,
Cultus, & vrticas iuſſit haberet ager.
Fœmina fœmineæ nam naſci debuit arti?
Conueniens illi lana, coluſq; fuit.
Si tamen hanc vſus voluit tractare viriles,
Hanc etiam potuit progenuiſſe marem.
Non bene iunguntur duo, ſi diſcordia iungis,
Non bene cum gelida iungitur ignis aqua.
Quod iam nata fuit, quod iam ſibi Fata dedere
Quæ (rogo) culpa fuit, ſe voluiſſe ſequi?
Præcipue ſi laudis opus te hortatur, & vrget,
Gloriaque ante oculos ſi iacet apta capi.
Nemo alias unquam docilem duxiſſet ad artes,
Si bene conceſſæ ſortis adibat iter.

Illi Frater erat teneris germanus ab annis
  Natus, & hic annis ante duobus erat.
Hunc, & litterulas fertur docuiſſe Palæmon
  Hunc calamo chartas, & perarare leui.
Tradidit inde notas, & primus Grammata Frater,
  Fratreq; mox facta eſt doctior illa ſuo.
Nocte, dieq; vacat ſacris ſtudioſa Libellis,
  Hæc vna eſt animo cura relicta ſuo.
Hanc vocat, & dixit Mater, tua tempora perdis,
  Naturæ non ſunt, quæ facis, apta tuæ.
Donec eras infans, infanti cuncta remiſi,
  Et nunquam arbitrio ſunt data frena tuo.
Quo modo duxiſti, non duces tramite curſum,
  Ætatis ratio eſt huius habenda tuæ.
Grandis es, & pulchro iam mox matura Marito
  Artis fœmineæ non mihi reddis opus.
Indue nunc alios mores, vitamq; priorem
  Exue, nunc aliâ eſt vita terenda rota.
Hæc tua non ars eſt, opus hoc non utile tentas,
  Grammaticen Natus, non mihi Nata legat.
Sors tua fœmina eſt; generi non littera noſtro
  Conuenit; eſt aliud, quod potes ipſa ſequi.
Te decet arguto percurrere pectine telas;
  Te, quæ oculos fallant pectere lina decet.
Arte laboratas debes mihi Filia veſtes
  Queq; trahas facili penſa peracta manu.
Dixerat, & Libros, quos dextra forte tenebat
  Excuſſit, Calamos dilaceratq; leues.
Moxq; Colum lateri, digitiſq; dat anxia fuſum,
  Velaq; quæ tenui candida pingat acu.

Quid

Quid faciat? Durum eſt votis non cedere Matris;
  Temperat ingenuus, ſollicituſq; pudor.
Annuit, & contra Mater cariſſima dixit,
  Ad quęcunq; voles, Nata parata tua eſt.
Vt factura foret, quod iuſſerat, inde receſſit
  In thalamum, & thalami poſteriora petit.
Hunc ubi peruenit, veſtes à pectore ſcindit,
  Et rumpit crines, & ſecat vngue genas.
Dumq; ferit claro teneros plangore lacertos,
  Dum dat ſingultus, dum gemituſq; graues.
Harpalices ſtrepitus Nutricis venit ad aures,
  Aduolat, & mea quid Filia, dixit, agis?
Me miſeram quid agis? Quid te mea Filia perdis?
  Dic mihi quid paſſa es? Quid mea vita doles?
Rettulit hæc; perij, nulla eſt, nulla, occidit omnis
  Virginia, & ſupereſt, ſpes mea, nulla mei.
Vix hæc; opprimitur ſubito collapſa dolore,
  Et velut exanimis mente relicta iacet.
Me miſeram geminauit Anus, quid dicere tardas?
  Impia quid tardas dicere? Numquid amas?
Per me (ne dubita) voto potiere cupito;
  Per me facta putes, qualiacunque voles.
Et nihil eſt, quod non docuit me ſera Senectus,
  Et cunctis fœlix ſum medicina malis.
Vt ſe collegit, culpam cælare pudore
  Ne videatur Anum, talia voce refert.
Neſcio quid ſit Amor, nec quid ſit, ſcire requiro;
  Quicquid id eſt, crimen ſed tamen eſſe puto.
Exceſſit mea pœna modum, nullaq; leuari
  Arte poteſt, nullam vulnus habebit opem.

Crudelis

Crudelis Calamos fregit mihi Mater, & omneis;
E manibus Libros eruit illa meos.
Vel telæ instato vel pectine lina parato,
Verteque vel fusum, pinge ve dixit acu.
Hæc vbi dicta dedit, lacrymas reuocauit; at illa
Risit; & ò luctus hæc tibi causa fuit?
Supprime; res facta est; iterum tu sume Libellos,
Tu lege; lanificæ me decet artis opus.
Tu lege, quod iussit fieri tibi sedula Mater
Expediam; lege tu; cura sit ista mea.
Dixerat, & lacrymas digitis desiccat, & ori
Inter singultus oscula iungit Anus.
Vt lenita fuit, posuitq; in lege capillos
Lætior est illi, quam modo vultus erat
Dicta placent, operiq; suo labor vrget vtramq;
Hæc operi ingenium commodat, illa manum.
Illa trahit lanas, & versat pollice fusum;
Hæc studet, & Libris mente animoq; vacat.
Tunc Anus ò quoties memini vigilasse Puellis;
Dum lanæ instarent, linaq; tracta colo.
Inter opus manuum minuendo sæpe laborem
Ipsa recensebam, qualia vulgus habet.
Tu quoque nunc aliquid referas, quod molliat aures,
Quodque horam faciat temporis esse breuem.
Illa quidem obsequitur, percurrit & ante Libellos,
Et quæ mellifluo legerat, ore refert.
Atque ait è multis, quæ non narrare liceret,
Eliciam, poterit quæ decuisse loqui.
Enarrent aliæ, quæ sit nutrita columbis,
Quæq; suo fecit nomine nomen aquis.

Enarrent

Enarrent aliæ, cum uidit postibus Hyphin,
Qualis Anaxaretes presserit ora rigor.
Narrent Hyleum præbentem nuda sagittis
Pectora, & Iasidos iussa proterua suæ.
Vt cum Tyndaridis Leucippus bella mouebat
Cum socero generi, cum generisque socer.
Quæ me, teq; senem deceat memorare libebit,
Moribus illa meis, conuenientq; tuis.
Multa quidem referam sæclo ventura futuro,
Quæ mihi per genium sunt reserata meum.
Hæc vbi dicta dedit; paulo subsedit, & ora
Suppressit; paulo lumina fixit humi.
Mox leuat, & linguam soluit generosa pudicam;
Mellitus casto defluit ore liquor.
Quanta pudicitiæ vis est, & quanta pudoris
Arguit, & maius Virginitate nihil.
Bella noua memorat, quæ sub Carthagine gessit
Scipio, quæ terra duxit, & arma mari.
Et licet ingenti fuerit munita cohorte,
Incustodito capta sit illa vado.
Venerat in subitas speciosa Puella rapinas;
Non ulli maior contigit oris honos.
Continuere manus tanti terrore pudoris,
Et uim virgineus vicit, & arma pudor.
Moxq; dedere Duci. Dux est veneratus, & illam
Suscipit, intactam, restituitque viro.
Subdit cum Cybele Romam veheretur ab Ida;
Thybridis ut nullas nare uolebat aquas.
Quam non mille manus, nec uincula mille trahebant,
Sola sua traxit Claudia casta manu.

 Subsistit

Subſtitit ut paulum, ſubiungitur altera, falſo
Quam fecit tutam crimine certa fides.
Quod ſi non ciſta portaſſet Thybridis undas,
Mox ſuper ingeſtam uiua ſubiſſet humum.
Non te Penelope, non te Lucretia tranſit
Quamq; ferunt Mœcho ſubſecuiſſe caput.
Suggerit ut Natæ traiecit pectora ferro
Pontius, & non eſt paſſus habere Virum.
Et quas rexit equo tranando Chloelia Tybrim,
Et quoties tumidas ſola relegit aquas.
Addit, & ut fuerat Liberti Neuius ultor,
Excuſet quamuis crimina caſtus amor.
Eliſaſque nurum fauces, Hippulq; ſepulcrum,
Pluraque quæ fieret longa referre mora.
Finis erat dictis, paruæ ſunt tempora fandi
Intermiſſa moræ; dicere poſcit Anum.
Illa refert, dignum nil te narrare valebit,
Quæ caret ingenio, quæ rudè pectus habet.
Sed tamen vt videar iuſtis parere petitis;
Accipe, quod vulgus ſæpe referre ſolet.
Ianq; fuit quædam, ſed quamuis diues auara;
Vir cecidit, nulli ſponſa ſecunda fuit.
Hanc ſibi non Matrem Natus, nec Nata vocauit,
Dicitur ancillas hanc habuiſſe duas.
Ponere nunc telas, nunc illas penſa iubebat
Ducere, pars operi, tradita noctis erat.
Has ad opus manuum nocturnos anxia cantus
Criſtatę ſeruans nocte vocabat auis.
Hæ tamen aſſiduo feſſæ, longoq; labore
Perdere iam cauſam conſtituere mali.

Et

Et re dicta probant, vigilisq; occiditur ales;
  Immunes operum sic fore nocte putant.
Sed Dominam maior vigilandi cura premebat:
  Certa, quod hora suæ perdita noctis erat.
Temporius solito, citiusq; vocantur ad artes,
  Longior est illis, quam fuit ante, labor.
Finierat. Rogat hæc aliud subiungat; At illa
  Annuit, & rursus talia voce refert.
Forte fuit pluuium, multoq; perhorruit imbre
  Tempus; & à multa bruma madebat aqua.
Sed tandem è cœlo nubes cessere, fuitq;
  Candida sub nitido reddita Sole dies.
Ecce cauis Cererem corruptam humore cauernis
  Formicæ educunt, expediuntq; solo.
Haud procul hinc arbor stabat frondentis oliuæ,
  In cuius ramo fortè Cicada fuit.
Hæc sibi subueniant summissa voce rogauit,
  Quod nisi dent aliquid, sit peritura fame.
Subtraxere aures, & se nihil esse daturas
  Dixere, & vitæ consulat ipsa suæ.
Increpuere etiam, quod non æstate parabas,
  Vnde tibi victus frigida ferret hiems?
Hæc tum; perpetuo meditabar carmina plectro;
  Nil aliud nostro pectore, dixit, erat.
Irrisere diu formicæ vana loquentem,
  Et tales vna uoce dedere sonos.
Salta nunc igitur, si tunc æstate canebas;
  Vtq; æstas abijt, sic, & abibit hiems.
Dixerat, & finem uerbis fecere, simulq;
  Accumulant grates, & bene dicta probant.

Inſtant mox operi. Fuſos hæc, illa Libellos
Verſat, & officio eſt utraq; iuncta ſuo.
Iamq; dies, noctiſq; ierat pars prima; caniſtris
Illa refert Matri penſa peracta ſuæ.
Blanditur decepta Parens, laudatq; probatq;
Quęq; trahat rurſus penſa ſecunda dedit.
Sæpeq; ſic alios; ſic Matrem ſæpe feſellit,
Et latuit longo tempore vana fides.
Nulla diu fœlix fraus eſt; quod mille ſub annis
Delituit, ſpatio detegit hora breui.
Forte domum Glaphyre vicina à fronte colebat;
Clarior illa viro, nobiliorq; fuit.
De tribus vna illi viuebat filia docta
Pingere acu veſtes, ducere fila colo.
Virginiæq; animis fuit hæc æqualis, & annis;
Et dixit, nulli cederet arte ſua.
Hæc dolet, & quamuis cedat tibi cætera, dixit
Turba, mihi nec te dixerit eſſe parem.
Inde mouent rixas, conuiciaque aſpera miſcent;
Altera ab alterius vix tenet ore manus.
Proſiliere piæ Matres, & quælibet effert,
Laude ſuam, & primum dicit habere locum.
Tunc aliquis dixit, lanis certare ſinatis;
Victrici detur gloria prima coli.
Dicta placent, fuſoſq; parant, & penſa, coloſq;
Quęlibet eſt operi Nata vocata ſuo.
Vna moras nectit, nec terra lumina tollit
Virginia, & cohibet ſic ut inepta manus.
Vincitis exclamat Numitoria, perq; capillos
Hanc in tecta trahit, verberibuſq; ferit.

Quid

Quid sibi vult, inquit, quod nescis vertere fusum?
  Quid ne tuis manibus, non sedet apta colus?
Suspicor hæc etiam, dederas quæ stamina nobis
  Ne sint forte tua stamina tracta manu.
Illa refert contra, liceat mihi vera fateri;
  Ista manu non sunt fila peracta mea.
Voluebam Libros, & sacra poemata Vatum,
  Altera lanificum sollicitabat opus.
Exclamat vesana Parens, ululatibus aulam
  Implet, & ut Baccho concita Baccha furit.
Tota domus quatitur, præcepsq; accurit, & orat
  Quæ turbam, & luctum, quæ noua causa dedit.
Vt turbata comas erat; & singultibus acta,
  In gremium cari Filia fugit Aui.
Illa choro medio, circumq; astante corona
  Cuncta refert passis inuidiosa comis.
Tum senior venerandus Auus Numitorius ora
  Soluit; ab eloquio dulcia mella fluunt.
Quid nimium indulges lacrymis, seuoq; dolori?
  Non tantum forsan res habet ista nephas.
Collige, te, mentemq; tuam, gemitusque coherce,
  Ne plusquam poscat res, videare, queri.
Te rogo, quid potuit tantum mouisse dolorem?
  Si foret extincta hęc, plus ne dolere potes?
Omnia turbasti; doctas si fugit ad artes,
  Non tamen inuidia digna Puella fuit.
Quin titulum laudis, nomenque meretur honoris.
  His hortanda foret; non prohibenda bonis.
His præferre colos fragiles Virtutibus audes?
  Grataq; naturę tollere dona suę?

Et

Et mihi iam fuerat puero doctissima Mater;
  Hoc illi clarum nomen in Vrbe dedit.
Illam coniugio, quamuis de plebe fuisset,
  Nobilibus fertur præposuisse Pater.
Mille ego censerem si tempus, & hora daretur,
  Quas hic virtutis nobilitauit honor.
Ad studium, & doctos gaudens eat ipsa Magistros,
  Ingenuasq; artes ingeniosa colat.
Dixerat, annuerant omnes, & voce probarunt,
  Hæc tamen, & Matrem verba dedisse ferunt.
Sit fœlix quodcunq; paras, nec inutile nobis,
  Et precor auspicijs, res eat ista suis.
Nescio quid miserum tamen, & cor triste veretur;
  Nescio quid timeat, mens tamen ipsa timet.
Nota tibi Roma est, scelerumq; immensa potestas,
  Queq; omni posuit ræтia parte dolus.
Nil tutum à vitijs, & non vacat vnus in Vrbe
  Turpibus, obscœnis, criminibusq; locus.
Qui nuribus sese cunctis miscere, suisq;
  Non parcit, Natæ parceret ille meæ.
Vos agite, & vestris onus hoc impono lacertis;
  His volo me puras abstinuisse manus.
Tum Senior; Nutrix, inquit, comitetur euntem,
  Sponsaq; sit digno pacta, sed ante viro.
Sic statuunt, redditq; choro lætissima grates
  Virginia, & pedibus basia figit Auo.
Mox adijt pia templa Deum Numitoria Mater;
  Intenta, ex aditis quo strepet aura sono.
Quæ vox è triuijs detur, quid garriat ales
  Seruat, & à summo somnia missa Ioue.

Aſt alij explorant Vrbem, ſtudioq; requirunt;
Cui poſſit iungi tanta Puella viro.
Forte ſub his parui fiebant ſacra diebus
Herculis ad riuum, quo lauat Almo Deam.
E madidaq; frequens ſic ibat turba capena,
Vt ſubitis torrens imbribus ire ſolet.
Huc ubi peruenit ſenior Numitorius, vndę
Ceſſit, & in ſolo ceſpite ſedit humi.
Illi de populo tamen unus, & alter adhęſit,
Quos unum iuſſit caſus adire locum.
Dumq; ſedent, ſperantq; ſimul rareſcere turbam;
Inter ſe varijs verba fuere modis.
De Fato Mundiq; anima, Cœliq; meatu,
Multaque de cura diſſeruiſſe Iouis.
Dumque ſequens ſermo ſuccedit forte priori
Alter, & à primo qui ſolet ire, venit,
Incidit in Patres, & quæ ſit cura Parentum,
Quo freno, & qua ſit lege regenda domus.
Vir grauis hæc unus dixit de ſtante corona;
Fecerat hunc ętas, canaque barba grauem.
Eſt mihi, ſitq; precor, longoq; in tempore viuat;
Quem mihi præcipuum Fata dedere, Nepos.
Donaq; virtutum tot ſunt, quot ſidera Cœli;
Oceani guttas, qui ſciet, iſta ſciet.
Ille pudicitiæ magna eſt documenta daturus,
Exemplumque etiam Virginitatis erit.
Et minor ingenio, non eſt præſtantia formę
Hic tibi vel Bacchus, vel tibi Phœbus erit.
Vix ad Ter quinos vnum ſuperaddidit annum,
Herculis (aſpiceres) robur habere putes.

Et quod in hunc venit cunctarum gratia rerum
   Ex hoc Icilius nobile nomen habet.
Sed tamen hic misero, ne sit iucunda Senectus,
   Vt sim sollicitus nocte, dieque facit.
Cogito, cui possit tædas vincire iugales,
   Quæ coniux tanto coniuge digna foret.
Inueniet nunquam similem virtute Puellam,
   Si volet hic tantum ducere sorte parem.
Hæc vbi dicta dedit, subito Numitorius illi
   Rettulit; hæc eadem me quoq; cura premit.
Namq; mihi Neptem gratissima Fata dederunt,
   Sitque illi longo tempore vita, precor;
Atque aliquis numerum Libicæ mihi forsan arenæ,
   In cœlo stellas, in mare dicet aquas.
Sed tamen illius dotes (ut cogito) nullus
   Ingenij, & formæ dicere posset opes.
Dogma pudicitiæ, si quis vult, discat ab illa,
   Et si quis sacri scire pudoris iter.
Illaque bis quinis non dum treis addidit annos;
   Adde arcum, & pharetram: vera Diana foret.
Virgoque, quæ nulli sit Virginitate secunda,
   Virginiæ nomen nobile casta gerit.
Et tamen illa dies, & noctes reddit amaras,
   Et requie careat nostra Senecta, facit.
Cui fieri possit coniux mecum ipse voluto,
   Et quis sit tantum dignus adire thorum.
Si volet æquali se commiscere Marito,
   Inueniet nullum tanta Puella virum.
Dixit, & alterius vultum conspexit uterque,
   Soluerantque ambo talibus ora modis.

Gratemur

Gratemur, fœlixque omen, votumque sequamur
  Coniugij, quod sors, & pia causa dedit.
Hæc ubi dixerunt, dextras iunxere, simulque
  In quo constiterant, deseruere locum.
Ingrediuntur iter, quod iam nunc rarius ibat,
  Delubrique sacrum iam prope limen erant.
Tunc Auus, hic ille est Numitori, conspice, dixit,
  Quo sua iam toto est vertice turba minor.
Ibat conspicuus decus, & noua pompa suorum,
  Inter mille Deos Phæbus vt ire solet.
Quod si non Deus est, poterat tamen esse videri
  Incessu, & forma conueniente Deo.
Vt conspexit Auum, lateri se adiungit auito,
  Et quorum fuerat, desinit esse comes.
Blanditijs demulcet Auus, vultuq; sereno
  Excepit, dextram datq; capitq; manum.
Ingressiq; solo sternuntur, & oscula figunt,
  Libaq; dant Aris, & pia thura focis.
Hinc, atq; hinc vario fulgebat imago labore,
  Plurima, quem toto fecit in orbe Deus.
Hic à fronte tamen; primaq; in parte nitebat
  Effigies miris dissimulata modis.
Aure viros vinctos auratis illa cathenis
  Ducebat lingua, sponte venire putes.
Hosq; reluctantes manibus, vinclisq; trahebat,
  Postq; agmen longum, quod sequeretur erat.
Plurima suspensis pendebant vota tabellis,
  Quas suus orator voce iuuante dedit.
Et licet has omnes precibus reuerenter, adirent,
  Huic tamen immensas exibuere preces.

Et

Et grates egere pias, ſermone quod actum eſt
  Coniugium, & verbis ſit data prima fides.
Egreſſi ſacro fixerunt oſcula ſaxo,
  Oſcula per morem bis repetita ſuum.
A dextra ante fores inerat venerabile ſaxum,
  Dimidiumq; album, dimidiumq; nigrum.
Humida pars vna eſt, & pars eſt altera ſicca
  Hæc calet, illa niue eſt, frigidiorq; gelu.
Et mirum eſt quoties venit intra mœnia Romæ,
  Hoc pluit, hoc tollit, cum fuit imber, aquas.
Hinc Vrbem repetunt, & iam venere frequentes
  Huc, vbi ter Ianus conſpicit ore forum.
Hic diſiungit iter pia turba, nec vllus in Vrbe eſt,
  Qui magis adducat per loca plura, locus.
Iamq; domum repetens medius Numitorius ibat,
  Parte erat Icilio, parteq; cinctus Auo.
Ante domum offendunt, qui tela, & bella parabat,
  Virginium, & fræmis impediebat equos.
Tum Senior, Gener hic tuus eſt, & tu Socer iſti;
  Da dexteram Genero. Protinus ille dedit.
Amplexuque dato, Gener optatiſſimus inquit.
  Es mihi. Nil vnquam carius eſſe poteſt.
Intra tecta veni, ſed vos tamen ante præite,
  Vir videas Sponſam, te tua Sponſa Virum.
Tunc Anus auſpicio, fœlicique omine ſparſit,
  Liminibus ſpargi qualiacunque ſolent.
Sedula diſcurrit; nunç hoc, nunc aptat, & illud,
  Diſponitque ſuis, quod decet eſſe locis.
Hi ſubeunt aulam, thalamum ſubit illa Puellæ
  Pone parum dixit, Filia pone Libros.

Te tuus expectat media pulcherrimus aula
    Sponsus; eris tanto Sponsa reuincta Viro.
Scrinia mox reserat, legitque è pluribus unam,
    Ebria quæ multo murice vestis erat.
It circum argento limbus contextus, & auro,
    Fixaque per totam plurima gemma nitet.
Hos capit ornatus, & membra decentia uestit;
    Castigatque latus conueniente manu.
Diffunditque comas humeris, vittaq; cohercet
    A fronte, & collo molle monile locat.
Dat digitis gemmas, armillis brachia cingit
    Sardonicasque leui pectore figit acu.
Sit formosa licet, quo sit formosior aptat,
    Et docet, ut docte ponat agatque pedes.
Ter circumspexit, ter circumspecta probata est;
    Nil nisi, quod dignum nomine laudis, erat.
Compositam educit tandem, caput illa lacertis
    Acclinat iunctis flexa decente genu.
Ibat ut incessu lento solet ire Diana
    Loca, vel Amneso, Parthenio ve suo.
Tunc, & Virginius dextras utriusque poposcit,
    Iunxit, & inter se, conseruitque datas.
Sponte sua Icilius niuea ceruice sinistram
    Iecit, & amplexæ basia longa dedit.
Illa sed erubuit casto commota pudore,
    Et decuit, quamuis tinxerit ora, rubor.
Festaque dispositis celebrant conuiuia mensis,
    Et resonant omni gaudia parte domus.
Dantque Lyræ, Citharæque sonos, atque æra canoros;
    Ducitur & docto longa chorea pede.

    Interea

Interea rediję diris Numitoria monſtris
    Territa, quæ templo, quæque recæpit aue.
Proclamat, nulli, Cornix ſi vera locuta eſt,
    Iungetur, Virgo ſed cadet ante Patrem.
Plura loqui voluit; compeſcuit ora loquentis
    Virginius, poſita, detenuitque manu.
Sic ait, à vero diſtat tua garrula Cornix,
    Diſtat ut à nigra candida nocte dies.
Nupſit, habetque Virum, mendacia rettulit ales
    Speſque tibi Neptis, ſpeſque Nepotis erit.
Accede ad numerum, lætis teque inſere ludis,
    Paret, & in toto eſt agmine prima chori.
Vt feſtis poſuere modum, ſua quemque vocauit
    Cura; Forum pars hæc, pars petit illa domum.
Virginia ad doctos tendit comitata Magiſtros
    Nutrice, & ſerua, quæ ferat vna libros
Itq; reditq; frequens ad caræ limina Sponſæ
    Sponſus, & eſt animo carior illa ſuo.
Virginius conſcendit equum, & contendit in Æquos
    Pluſquam vicinos qui populantur agros.
Algidum vt aduenit fœlici Marte profudit,
    Partaq; victori plurima palma fuit.
Primo Roma tamen vario vexata tumultu;
    Tempora multa dedit, damnaq; multa tulit.
Diſcordes cum Plæbe Patres, Patribuſq; Tribuni
    Inter ſe pacem non habuere diu.
Conſulibuſq; graui damnatis ære duobus,
    Concordes legem conſtituere dare.
Hæc tres ad doctas concordia miſit Athenas,
    Vt referant mores, ſacraq; iura loci.

Sancta

Sancta quies anno fuit hæc concessa laboris.
  Paxq; foris parta est, pax quoq; parta domi.
Vt mare summotis ventis, sic mota tumultu
  Consule Quintilio Roma quieta fuit
Sed ne forte malis aliquando tempora desint,
  Vexata est fœda peste, fameq; graui.
Nulli hominum generi didicit Mors parcere, mista
  Nam plebs cum populo nobiliore iacet.
Pene sua Roma est turba tot mortibus hausta,
  Rarior hæc ibat per fora, perque vias.
Interea Attæos dimensa per æquora portus
  Posthumius subijt, Sulpitiusque rate.
Inde petunt Vrbem, seque his venientibus offert
  Turba, rogat qui sint, quæ noua causa viæ.
Hi prætendentes ramum frondentis oliuæ
  Dixere auxilium patriâ Roma petit.
Concilium Rector iubet à Præcone vocari
  Chærephanes, subito est concio facta Patrum.
Ille sedet medius circum sedet ordo Senatus.
  Romanisque datum est, quæ voluere, loqui.
Talibus ora modis socio reticente resoluit
  Posthumius, verbis mella sedere putes.
Huius fama Vrbis nostras iam venit ad aures
  Inclyta, sed vero est illa reperta minor.
Fœlices, quibus hæc tellus habitatur, & istum,
  In tanta licuit pace tenere locum.
Quæcunque aspicio, fœlicia gaudia suadent,
  Cuncta suis opibus, ingenijsq; virent.
Huc vtinam nobis traducere tecta liceret,
  Aut hisdem Fatis condita nostra forent.

Quando quies dabitur nobis, vel quando licebit
  Dormire, aut ullus non dabit arma furor?
Sæpeq; bella mouent aliæ, sed sæpe quiescunt
  Vrbes, & positis ensibus arma silent.
Nos miseri sine pace sumus, semperq; mouemus,
  In nos sanguinea bella cruenta manu.
Conueniunt cum Plebe Patres, Patribusq; Tribuni;
  Vt gelidæ feruens conuenit ignis aquæ.
Nunc mille insurgunt fasces, nunc mille secures,
  Cogitur, & populus subdere colla iugo.
Nunc hunc, nunc illum montem capit impia Plebes;
  Nunc serui in dominos arma, facesq; tenent.
Nos tandem cupimus fessos (si forte daretur
  A Superis) tanti peste leuare mali.
Quærimus, & facta, quam nos non vidimus vnquan;
  Si quo possimus tempore, pace frui.
Omnia sed fuimus (sed & omnia vana fuere)
  Conati, cunctam morbus abegit opem.
In vobis est nostra salus, spesq; vna medendi;
  Per vos speramus posse fugare malum.
Si commoti vnquam prece, vel pietate fuistis,
  Votaque, vel mentes si tetigere pias.
Vota, preces, pietas moueant, & pectora tangant,
  Nunc animo, nunc ò mente fauete bona.
Magna quidem petimus (non ignoramus) eruntq;
  Non illa officio dona locanda leui.
Nos petimus ritus Vrbis, moresq; probatos,
  Et sanctas Leges, & sacra iura dari.
Subque illis etiam volumus traducere vitam,
  Ire per hoc etiam, per quod & itis, iter,

Ne tardet, quod non præceſſit gratia noſtri;
Officium merito, gratius illud erit.
Non eſt in nobis, & non erit ulla facultas
Reddere cum meritis præmia digna ſuis.
Non cadet ex animo, memori, ſed mente ſedebit,
Immemor officij non erit ulla dies.
Arma tamen, ſi vos vultis, dare poſſumus arma;
Omnia quæ vultis, prælia miles aget.
Siue fugare hoſtes, ſeu bellum inferre paratis,
Inferet hoc, illos quique fugabit, erit.
Denique ſi quid habet, quod vos fortaſſe iuuaret,
Sumite quicquid habet, denique Roma daret.
Dixerat annuerant omnes aſſenſibus æquis.
Inſuper hæc Vrbis rettulit ore Pater.
Fœlices nos eſſe bonis, velut eſſe putatis,
Credimus, & grata ſorte tenere locum.
Sed veſtri miſeret Fati, cæcique furoris,
Ex aliqua noſter parte ſit iſte dolor.
Sumite, quæ petitis, vel ſi quid poſcitis ultra,
Nulla negat vobis dona parata manus.
Hæc utinam triſtis per nos tollatur Erinnys,
Et noſtra morbus pernitioſus ope.
Proq; armis grates, quæcumq; offertis, habemus,
Et ſatis eſt mentes exhibuiſſe bonas.
Armaq; non deſunt, ſed in hoſtes vtimur armis,
Arma foris, pacem iuſſimus eſſe domi.
Sed ſi forte alio, vel forſan egebimus illis,
Vos eritis, nobis vnde petemus opem.
Dixerat hæc, ſoluitq; chorum, iuſſitq; duobus,
Leges Romanis, & pia iura darent.

Iussa Ducis peragunt celeres Nymphusq; Cyphusq;
Et mora mandatis non datur ulla pijs.
Egressis ex ære decem sub fronte Columnæ
In medio surgunt publica iura foro.
Stat cuiq; in solidis affixa tabella cathenis
Aurea, cælatis lege minante notis.
Illaq; traducunt calamo, traducta papyris
Tradunt bis quinis, tergoribusq; decem.
Moxq; alios mores, & plurima censa Solonis,
Et memorant, quicquid vim quoq; iuris habet.
Instructi repetunt portus, Legesq; carinæ
Imponunt, gemuit, cymbaq; sensit onus.
Iamq; instant remis, vento fauet aura secundo,
Et relegunt longum, per quod iere, fretum.
Fortè pijs cessit votis vis aspera morbi,
Sed neque iam segetes, farra nec arua dabant.
Cantibus, & festa resonabant omnia voce.
Nullus erat tota tristis in Vrbe locus.
Venit in hos celebres ludos Tyberina subisse
Hostia, legiferam nuncia fama ratem.
Lætior est lætis noua res superaddita rebus;
Et noua sunt primis optima iuncta bonis.
Sic vt erant, nullo currunt ad Thybridis undas
Ordine, per ripas, omneq; vulgus erat.
Aduersas iam nabat aquas, fluctusq; supinos
Voluebat multo tracta rudente ratis.
Iamq; propinquabat, velum, pupisque videri
Cœperat, & fractis spumeus amnis aquis.
Obuia turba ruit ripa simul omnis utraq;
Et prensare iuuat vincula torta manu.

Iamq;

Iamq; tenet portus, & ripæ Nauis adhæret,
Et cupit in ſicco feſſa ſedere ſolo.
Subijciunt lapſus, & lubrica ligna, rotaſq;
In nauale trahunt, & loca tuta ratem.
Educunt ſacras Leges, & ad alta Tonantis
Templa ferunt, aras, & Iouis ante pedes.
Iamque Patres, Plebeſque ſimul coguntur in unum
Conſtituuntq; viros ad ſacra iura decem.
In populo quamuis hi clarum nomen haberent
Clarior ante omnes Appius vnus erat.
Sic ſe tradebat vulgo, Plæbiſq; fauori,
Vt ſe fœlicem præſide Roma putet.
O fallax hominum vultus. Ne credite fronti;
In blando raram vidimus ore fidem.
Mente alius, diſcorſq; animo ſibi cogitat vni
Impoſito Romæ ſubdere colla iugo.
Omnibus occurrit blandus, blando ore ſalutem
Impertit, blandas datq; capitq; manus.
Nunc hos, nunc illos amplexus baſia perdit.
Baſia diues habet, baſia pauper habet.
Sæpe dabat lachrimas, ſi quod ius triſte videret,
Dicebat grauius ſe doluiſſe reo.
Vt vero Leges Patres cum plebe probarunt,
Menda nec in toto corpore iuris erat.
Cuduntur numeris æquatæ ex ære tabellæ;
Qualibet exciſis ſunt ſua ſcripta notis.
Iamq; aditu ſuſpenſæ omnes religantur apertæ,
Inq; omni pendent verba reuincta foro.
Moxq; viros iterum iuris, legiſq; miniſtros,
Quiq; regunt tabulas conſtituere decem.

Appius in primis legitūr, velut vnus honesti
Rector, & eterno dignus honore frui.
Ille subire suę Plebis pietate putatur
Hoc onus, inuito, nec sibi sponte dari
Vtq; duas etiam pręscriptis legibus addat,
Iure suo populus suplice voce rogat.
Omnia maturo clarescunt tempore, fructus,
Quos habet occulto semine, reddit ager.
Quodq; diù latuit prodit quandoq; sub auras,
Et sua celatum detegit hora nephas.
Protinus incępit mentis dare signa malignę,
Et reserare suo pectore, qualis erat.
Multa diu simulans Leges traduxit in annum.
Adiungi Plebi non sinit una Patres.
Et iam finis erat, nec suffragante Senatu,
Nec Plebe, in primo statq; sedetq; loco.
Arcanumq; inijt fœdus, quod dixerit unus
Ius fore, & æterna sceptra tenere manu.
Fascibus adiungit, Reges, velut ante, secures,
Et multo amota est uerbere turba vijs.
Et nunc per causas procul ille fugatur ab Vrbe,
Tristeq; nunc Fatum cogitur iste pati.
Magna sodalicij manus est adiuncta furori
Delatorq; idem testis, & actor erat.
Et bona damnati fingentis crimina fiunt,
Grassatorq; suæ præmia cædis habet.
E que sinu, miserę direpta est Filia Matri.
Deserit, & Coniux rapta cubile Viri.
Et pia verberibus cęduntur terga nephandis,
Seu Nuptę Coniux, seu foret ille Pater.

Distu-

Diffugiunt, quibus eſt odio tam dira poteſtas,
Vicinaſq; vrbes, & loca tuta petunt.
Ille ſubit ruris, paruęq; habitacula villę,
Et tenui graciles carmine mulcet oues.
Ille ſuos ſub panda boues adducit aratra,
Et duro longam vomere ſcindit humum.
Qui fauet, & parti non eſt contrarius, Vrbem
Incolit, & quem res publica nulla iuuat.
Semper in errorem ducit mala uita, facitq;
Contemni, & uili conditione premi.
Romanum irrident, terręq; urbeſq; propinquę
Imperium, & late depopulantur agros.
Sub ferrum, flammaſq; ſeges ſperata colonis,
Et longum duræ decidit artis opus.
Vtq; lupo timidæ properant ad ouile capellæ
Et uiſo lepores ad ſua tecta cane.
Sic intra muros Vrbis fugiebat agreſte
Vulgus ab audita bella ciente tuba.
Algidum, & aduerſum quæ ſunt propiora feruntur
Currit, & ad portas urbe tremente phalanx
Delectus Patribus tanta eſt diſcordia Plebis,
Vt nulla poſſit ſorte, vel ore legi.
Sæuitiam Regni tres Appius egit in annos,
Et rabies ipſis creſcit auara malis.
Attonitus ſocios, & coniurata vocauit
Agmina, conſultent, conſiliumq; ferant.
Et dubitat primo Romana ne concitet arma,
More ne, vel Regum deligat ipſe viros.
Tandem animo ſtatuit Præcone citare Senatum,
Cui belli inſtantis tradita cura foret.

Extemplo partes intres exercitus omnis
  Partitur, bellum iussit inire duas.
Tertia pars frenat statione tenaciter Vrbem.
  Claudius unus erat, Spurius alter erat.
Scilicet in bello vires, animumq; requiro,
  Sed cunctis animum viribus antefero.
Protinus, & primis Romanus miles in armis
  Vincitur, & turpi dat sua terga fugæ.
Instant ardentes equi, sæuiq; Sabini,
  Hos perdunt, illos sub iuga dura trahunt.
Et nisi qui muros victori obiecerat hosti,
  Tum graue seruitij Roma subisset onus.
Mœnibus inuigilant fusæ per mœnia gentes
  Deijciunt cæca multaq; saxa manu.
Accusatur iners ductorum ignauia Regum.
  Quodq; usu nullo castra, nec arte mouent.
Sed magis audaci culpabat Siccius ore
  Desidiam, verbis frenaq; nulla dabat.
Et modo damnabat Plebem quæ lenta Tribunos
  Non creet, & Reges pellat, agatque foras.
Hic est qui centum bis, denaq; bella peregit,
  Quiq; omni semper victor in hoste fuit.

FINIS PRIMI LIBRI.

PACIFICI MAXIMI POETÆ ASCVLANI VIRGINIÆ LIBER SECVNDVS.

CLaudius ut ſenſit, bibulaque accæperat aure,
 Matura ſtatuit perdere morte Virum
Cogitat, an ferro ceruicem tollat, an igne
 Cum domino pariter tecta odioſa cremet.
Dum quod agat, dubitat, dum ſe metitur, & iram,
 Quæ modo parta fuit, quæq; paranda foret.
Tutius eſſe dolis vidit, quam viribus uti,
 Et nigra ſub dulci melle venena tegi.
Nullus ab inſidijs fuit vnquam tutus, & omnis
 Fraude perit Virtus, opprimiturq; dolo.
Hunc vocat, & blandis, dictiſq; affatur amicis;
 Creditur è puro pectore verba loqui.
Iamq; vides Sicci nos, & mala noſtra, leuabit
 Nil prĕter, quam tu, conſiliumq; tuum.
Labitur in peius ſemper res ipſa, fluitq;
 Segnicia reſiduum, deſidiaq; Ducum.
Nos non arma decet tractare, & bella mouere,
 Et ſatius fuerat cedere, quam regere.
At tu, cui longa eſt duri experientia belli,
 Et domito ſemper victor ab orbe redis.

Si pietas Patriæ tangit, patrijq; pudoris;
 In te si qua tenet gratia nostra locum.
Annue supplicibus, tanto sucurre labori,
 Sume manu Sceptrum, nostraq; castra rege.
Cum repetes Vrbem victor, tibi Regna dabuntur
 Vrbis, in Imperio tu quoq; solus eris.
Siccius hæc contra. Tellus hæc ante dehiscat,
 Et caput aggesta contumuletur humo.
Quam, mea Roma meo patiar sit subdita Regno,
 Quamq; istos patiar Regna tenere diu.
Nunc oculis hæc ipsa vides, nunc deniq; sentis
 Errorem, in tenebris quotq; quibusq; iaces.
Consiliumq; tuum quamuis sis seruus obito,
 Ferq; libens, quicquid ferre coactus eris.
Vado nec inuitus, quota sit licet ista mearum
 Gestarum rerum palma futura mihi.
Dixerat hæc; hostis subito terrore refugit
 In vallum, & tuta se Statione tenet.
Et iam castra subit trepidantia Siccius ardens,
 Armaq; corripuit, corripuitq; locum.
Quod munimen habet locus hic, decuit ne locari
 Sic castra, in nostro sicque tenere solo?
Da socium Corneli agmen, roburque pedestre
 Quod me per tutum ducere possit iter,
Despiciam melior nobis, infestior hosti
 Si sit forte aliquis, commodiorq; decus.
Sic ait. Hæc placido gaudens Cornelius illi,
 Vt cecidit plausus militis, ore refert.
Venisti tandem claris celeberrime factis,
 Et nostri, & Patriæ portus, & aura tuæ.

Arbitrio

Arbitrio fac cuncta tuo (parebimus omnes)
  Et quæcunq; iubes, hæc tibi facta puta.
Mox dabo delectos iuuenes, quo Rex agmine tutus
  Et nemora, & saltus, & loca cœca petes.
Hæc inquit, centumq; viros dat fraude, doloq;
  Instructos, qui rem dissimulanter agant.
Vallis erat densis nemorosa, & consita syluis,
  Cinctaq; præruptis parte ab vtraq; iugis.
Quo magis excedit, tanto fit iniquior, ire
  Aut nulli, aut vni vix licet ire viro.
Huc vbi venerunt, pars agminis ante præbibat,
  Poneq; pars, medius Siccius vnus erat.
Coniurata phalanx armis circumdedit, ille,
  Desilit in terras sic ut inermis erat.
E manibusq; hostis ferrum rapit, vnus in omnes
  Vertitur, ut canibus cinctus, & actus aper.
Vulnerat hunc, illum, nunc hunc persternit, & illum
  Transfigitq; uno vulnere sæpe duos.
Iam ter quinque cadunt, iam bis ter quinq; repressit
  Vulneribus, nec adhuc vulnere læsus erat.
Stat virtus inuicta viri, roburq; Senecta
  Indomitum, nullo visq; labore cadit.
Conseruisse manus, nec iam vicisse pudebat,
  Multorumque vnus, quod domet arma Senex.
An dent terga fugæ, repetant an castra fugati
  Sed pudor, & timor hoc, & data iussa vetant.
Ergo nouam instaurant pugnam, nec cominus arma
  Eminus exercent, excutiuntque manu.
Pars longe iaciunt excussis pila lacertis
  Pars summis voluunt grandia saxa iugis.

Tot, tantiſque malis tandem iacet obruta Virtus,
Et nihil eſt, quod non frauſque, doluſque domet.
Et videt iſta Deus, nec fulmina torquet ab alto;
Iraſci quando iuſtius ille poteſt.
Victores, victi redeunt ut ab hoſtibus eſſent,
Cumq; ſui referunt funera morte Ducis.
It gemitus per caſtra grauis, triſtique dolore
Quilibet oppreſſus mente, animoq; cadit.
Sed iam turpe putant, auibuſq; feriſq; relinqui
Eximia clarum Martis in arte virum.
Pars magna exierant caſtris, ſtupefactaq; tendunt
In loca ubi Sicci triſte cadauer erat.
Miranturque genus pugnæ, & ſpolia ipſa iacere
Pilaq;, non hoſtis tela, nec arma vident.
Hic ſtupet, extinctum qua ſorte inuenerit hoſtem
Nullum, Romanos interineſſe viros.
Ille nec externo cernit veſtigia ſigno.
Siue hominis, ſeu ſint aggredientis equi.
Mox animos perculſi, omnes indigna videbant
Fata viri, & ſtructo deperijſſe dolo.
Vnus itemq; alter dixerunt talia, quis non,
Nouit, & ut res eſt facta: fuiſſe putet?
Silicet his Ducibus nos bella mouemus, & arma
Scilicet in noſtro non erit hoſte locus.
Pręſtaret, ſed forte magis, vel forſan in illos
Inſigne, & clarum ſi quis obiret opus.
Sublimem referunt humeris in caſtra, locantq;
In medijs murmur fit, gemituſq; grauis.
Dant omnes lachrimas, omnes ſuſpiria rumpunt,
Et dolor, & gemitus, luctus, & vnus erat.

Componunt tandem tumulo, mandantq; ſepulchro,
Inſignem titulum carmine marmor habet.
Siccius hac urna tegitur; victoria ſecum eſt
Hoc arſit clypeus Martis, & haſta rogo.
Vt non cauſa foret ſatis hæc, utq; altera poſcat
His maiora, viros quæ fugat ira decem.
Fœdius his aliud ſcelus additur; improbus ardet
Peſſima confeſſis accumulare malis.
Et qui debuerat flammis ardentibus vndas
Inijcere, ageſſit plurima ligna foco.
Non vno contenta malo mala vita quieſcit,
Expletur nullo flumine tanta ſitis.
Forte ſub hoc, turmaſq; ſuas, equiteſq; regebat
Illic Virginius tempore clarus eques.
Sed tum pro Generi turbatus morte tenebat
Contra homines, contra ſæuaq; tela Deos
In nemore obſcuro, cæcoq; ræconditus antro
Voluebat curas corde dolente graues.
Iamque erat ultricem, iuſtamq; paratus ad iram,
Iam ſtatuit nullam rebus ineſſe moram.
Et iam feciſſet, nec ſerior hora fuiſſet
Vindictæ, in dextra iam ferus enſis erat.
Obſtitit incepto noua res, nam viſus adeſſe
Siccius, & ſolito corpore maior erat.
Obſtupuit primum, mox, an me fallit imago
Dixit, an in vita eſt nunc, velut ante fuit.
Rettulit hic, viuo vita meliore, mihique
Inter fœlices contigit eſſe Deos.
Quin potius mea verba tene, mandataque ſerua,
Et quicquid dico mente repone tua.

Sæpe

Sæpe iuuant quæcunque ſuo ſunt tempore facta,
Et non facta ſuo tempore, ſæpe nocent.
Laudo animum, iuſtamq; iram, ſed venerat hora
His auſis non dum fortibus apta ſatis.
Non ſceleri poſuere modum; peiora parabunt,
Quæ tibi, quæ populo iuſtius arma dabunt.
Iamq; petes Romam, ſed quando eſt Roma petenda,
Dicam, quod longum non tamen eſſe reor.
Sanguine perfuſum per compita lata viarum
Aſſertor gladium per fora cuncta feres.
Excuties nouitate Vrbem, parteſq; propinqui
Expelebunt, nullum voce tegente nephas.
Dumq; ferent Feretrum, flores pia munera Matres,
Et ſua dona Patres inuidioſe dabunt.
Pro te, proq; tuis ſtabit Barbatus in armis,
Quæq; ſemel ſumpſit Lucius arma feret.
Tu repetes tua caſtra, manu comitante tuorum,
Quamq; dari poterunt, frena dabuntur equo.
Illic cum fueris, venies nam veſpere ſero,
Cumq; ſub heſperias Phœbus abibit aquas.
Turbatus, ferrumq; tenens, & veſte cruenta
Narrabis ſæui facta nephanda viri.
Cum fuerit tibi prompta acies, cum ſigna iubebis
Tollere, & intra Vrbem ducere rurſus iter
Montis Auentini dorſum cape, caſtra locari
Non poterunt Vrbi commodiore loco.
Arma Deæ pones nemoroſæ ad templa Dianæ
Oppius his fiet Præſes, & arma reget.
Et ſua captiuum fruſtra tentare videbis,
In te bis quinos bracchia ferre viros

Manlius his etiam legiones vrbe Fidenæ
Iunget, & instituet teq; tuosque sequi.
Moxque magistratum populo plaudente relinquet,
Qui statuit nullo ponere Regna die.
Icilius iunior, senior Numitorius alter,
Tertius electus, tuque Tribunus eris.
Claudius in vinclis ponetur, & Oppius arctis,
Et solidus claudet carcer vtrumque Reum.
Ipse meis manibus frangam scelerata duorum
Guttura; non Aiax, sed ferus Hector ero.
Cetera turba tua fugiet procul exul ab Vrbe,
Non dabit his tellus, nec dabit vnda locum.
Tu maneas, sine me nil immutabis, & arma,
Quæ quondam egisti, nunc quoq; ductor agas.
Hæc ait; amplecti parat hic, & iungere dextram,
Nil tetigit, vacua fluxit imago manu.
Nullus erat, tenues euanidus iuit in auras;
Paruit hic dictis, exhibuitq; fidem.
Colligit errantes, & tristis mente phalanges;
Atque ait ultori cura sit ista Ioui.
Strenuus arma capit, iubet omnis arma resumant
Inq; equos iterum prælia sæua nouat.
Vt solet in tauro ferri gangetica Tygris
Ieiuno longam gutture passa famem.
Sic hos, sic illos nudantes terga premebat,
Inque suo vallo plurima turba cadit.
Audet, & aduerso nullus concurrere Marte
Ni certe Fatum mortis obire velit.
Omnibus unus erat timor, & formido, nec unum
Mille valent acies substinuisse virum.

Iam

Iam poterat dici fœlix, dicique beatus.
  Quodq; homines faueant, quod faueantque Dei.
Et vere poterat iam fœlicissimus esse,
  Si non rupissent inuida Fata bonum.
Nam lætis didicit semper Fortuna nocere,
  Si bona non miscet, rumpitur illa, malis.
Sic visum Superis, fieri sic Fata volebant . .
  Parcaq; non vno stamine nebat opus.
Rapta erat à Fatis Numitoria, forsan ab hisdem
  Sat bene, si Fatis Filia rapta foret.
Filia iam ad ludos, & claros arte Magistros
  Ibat; erat docti pompa decusq; chori.
Si formosa fuit, formam virtutibus auxit;
  Moribus ornatur, nam bona forma bonis.
Dum Fora, dumq; vias, & compita lata terebat,
  In se multorum flexerat ora Patrum.
Ille rogat sacri referat, vel carmen Homeri,
  Vel si quid Lyrica Pindarus arte canit.
Iste Sophoclæos versus recitare rogauit,
  Hic si Musæi carmina forsan habet.
Illa recensebat, nec deerat gratia linguæ,
  Nullus compositi defuit oris honos.
Quid multa? His etiam commotus, & Appius auris
  Seruabat medio, qua solet ire Foro.
Deprendit, prænsamque manu demulcet, & apte
  Colligit in nodos fronte decente comas.
Oscula fixisset, testis nisi turba fuisset;
  Vix, ah vix differt cœtera mentis inops.
Vt benè laudauit faciem, moresq; remisit,
  In media puduit plus licuisse via.

Illa

Illa abit. Hic alto gemitus è pectore ducens,
Credidit, ex animo se cecidisse suo.
Iamq; dies ierat, iam Sol se merserat undis;
Sparsa erat humanum per genus alta quies.
Appius in somnis noctem producit amaram,
Inque thori nulla parte iacere potest.
Ardet in immensum, cœcoq; assumitur igne,
Liquitur ut valido proxima cera foco.
Seque ipsum stimulat, seque ipsum irritat, & auget;
Ipse suas flammas, & quatit ipse faces.
Mente videt, repetitque animo, quæ vidit in illa,
Et meliora, sinu, quę latuere putat.
Et nunc alloquitur, nunc audit verba loquentis,
Et nunc, ad nutus cogitat ire suos.
Et nunc amplecti, nunc oscula ferre labellis,
Et nunc, quo uellet, fingit habere modo.
Ante diem surgit, graphium cerasq; poposcit,
Visa sed est anno tardior orta dies.
Protinus insanæ conceptum scribere mentis
Incipit, & mandat talia verba notis.
Mittit, & hic idem des orat, ut ipsa salutem.
Qui rogat, hic idem forte rogandus erat.
Appius hæc totam frænat qui legibus Vrbem,
Scribit, & in cunctos ius habet ille Deos.
Tunc erit Imperij finis, tum dempta potestas;
Cum fontem, versa Tybris adibit aqua.
Et tamen, ut supplex venio ad mea vota, rogoq;
Cum possim ipse mea carpere poma manu.
Non ego Neptunum Nymphas orasse marinas
Miror, & hunc scimus ius habuisse maris.

Ante

Ante preces miror Cereris quid Filia rapta eſt,
  De Ioue, deq; Dea nata parente fuit.
Sic quid ab inuitis, nec concedentibus aufers,
  Nil iuuat, & ſi quiduis tibi forte dedit.
Ipſa Iouem faceres facie deſcendere Cœlo,
  Stare tuos, & molliter ante pedes.
Quot, quantiſq; cliens Dominum ſolet ipſe rogare,
  Tantis ſcis precibus, torq; rogata mihi.
Annue, nec longis ſine me ſermonibus uti,
  Cur quæ nunc poterunt, cras tibi facta uoles?
Annue, ſed cui ſis utinam iungenda requiras,
  Et quanto uideas ſis placitura uiro.
Vtile quod tibi ſit, bene quod conducat, obito
  Res melior, non hac, utiliorq; foret;
Fœlix, quæ tantum diceris adepta cubile
  Inter Romanas ſola uerenda nurus.
Reginam, & Dominam te Regia noſtra uidebit
  Gemmata auratis ueſte iacere thoris.
Quot ſunt Vrbis opes (mea ſunt bona) ſumito cunctas;
  Seruiat Imperio ſubdita Roma tuo.
Conſcius iſta ſciat Pater, & tua conſcia Mater;
  In thalamum mihi te feret uterque meum.
Ipſa veni, votoque meo ſucumbe, nec optes
  Ire ſub amplexus forte coacta meos.
Nec tentare velis ſit quanta potentia nobis
  Non expectatis viribus ipſa veni.
Hæc ſignat, fidoq; dedit ſignata miniſtro,
  Iuſſit &, ut celeri redderet illa pede.
Hic volat, atque aptum delegit tempus, & horam,
  Sed tamen offenſo ter pede læſit humum.

Inde

Inde redit triſtis, triſti quoq; conſcius ore
 Triſtia ſingultu verba retenra refert.
Cum tua reddebam teneræ mandata Puellæ;
 Porrexit faciles ad capienda manus.
Mox Anus aſſiſtens vetuit, rapuitq; ſciditq;
 Sciſſaq; ſub tepido condidit illa ſinu.
Et minata mihi verba execrantia dixit,
 Ter ſpuit, & duram ter pede preſſit humum.
Appius intumuit, validaq; accenditur ira,
 Et ducit, qùa vult impetus ire, pedes.
Efferuetq; ater circa præcordia ſanguis
 Vixq; poteſt lentas ferre, patique moras.
Iuppiter, aut ſi quid maius Ioue forſitan eſſet,
 Euellet manibus non mea vota meis.
Et tu tale mihi? Nudum mox arripit enſem.
 Ille fugit, cæca delituitq; fuga
Fluctuat, & digitos rabie demordet, & ira,
 Si poſſet Superis inijceretq; manus.
Prodijt interea thalamo, qualem eſſe ſub iſtis
 Pallentem miſera cernimus arte, Puer.
Imperat acciri Matrem, miſeramq; ſororem.
 Accitę nulla ſe tenuere mora.
Ire, & nutricem, ſeruamq; ipſamq; rogare
 Iuſſerat, & donis ſollicitare datis.
Exierant, parentq; ambæ ſua Fata querentes
 Per longum Mater multa recenſet iter.
Res bona dum fuimus, ſtupro turbauit in unum
 Hic me, te, Natum, quæq; fuere domi.
Vt rugæ traxere cutem, ſpes occidit omnis
 Officij, meriti deperijtq; fides.

Laudan.

Laudantur campi ſpicis, vineta racemis,
  Sunt odio ſpinæ, cum cecidere Roſæ.
Tempore non omni pendent in vitibus vuæ
  Non ſegetes omni tempore campus habet.
Lænarum ſpretæ miſera nunc utimur arte,
  Hic eſt emeritæ redditus artis honos.
Iamq; ſiti, triſtiq; fame moriemur inertes,
  Si præbere cibos lana, coluſq; negat.
Hunc finem quiſquis ſtudet inſeruire Tyrannis
  Speret, & in nuda demoriatur humo.
Hæc domus eſt, impelle fores; ſuccedite dictum eſt
  Ingredere; canis hæc num nocet? Ite, nihil.
Quid Proſilla facis, longo iam tempore viſæ
  Non eſtis, Nutrix dixit, utræq; mihi.
Faſciculo quid fert tua filia? Sede; ſubdit
  Scamnum, puluinar ſuppoſuitq; leue.
Hæc ſedet, atque inquit, cogo me dura referre
  Harpalice, & quorum non meminiſſe velim.
Viuimus, & potui fœlix tamen eſſe, nec ulli
  Cedere Fortunà, diuitijſq; meis.
Iamque bonæ potui ſtratum mihi ſubdere plumæ,
  Et mihi correptis ducere Fata comis.
Stulta fui, & cerebri veſani ſemper habebor,
  Et dicar ſenſu, mente nec eſſe mea.
Terruit amentem vanæ reuerentia famæ;
  Quærebam nomen laudis habere bonæ.
Sed potui velo culpam cælare modeſto,
  Quod latet, in nullo crimine crimen habet.
Vel non peccandum eſt, vel ſi peccare libebit,
  Peccatum excuſet maxima cauſa tuum.

Res bona si cogit, non est admittere crimen;
Criminis utilitas magna leuabit onus.
Lata bonis patuit mihi iam via, pœnitet acti,
Sed nunc obstrusa est, nec licet ire mihi.
Nunc meus hortus habet sentes, qui lilia quondam
Duxerat, urticas nunc meus hortus habet.
Dum iacet in visco turdus, dum piscis in hamo,
Accipe, si tardas, postmodo neuter erit.
Dum segetem campus, dum vinea gesserat vuam,
Vua legenda fuit, falce secanda seges.
Nunc inopi vitæ grauis est adiuncta Senectus,
Nec mihi sufficiunt qualibet arte manus.
Dum sumus, & non dum morimur, nos viuere oportet,
Et miser est aliqua victus habendus ope.
Permuto merces, quas huc niger attulit Indus,
Quasq; tulit Lidus, quas Tyriusq; tulit.
Huc ego perueni, si quid de mercibus istis
Delectat, merces Filia pande tuas.
Et vos quam trahitis vitam, qua viuitis, arte?
Lata (reor) nullo scinditis arua boue.
Virginius superest Pater, & Numitoria Mater
Huius, an à Fatis raptus uterq; iacet.
Harpalice, cecidit Mater Numitoria, dixit,
Militat in castris, & mouet arma Pater.
Tunc hæc ex imo suspiria pectore traxit,
Et singultanti talia voce refert.
Dij dent pacem animæ, fuit optima fœmina, nobis
Hanc Superi seruent, efficiantq; bonam.
Dum simul hæc, & plura etiam dictata recensent,
Et varia alternis it vice sermo leuis.

Insignes

Inſignes veſtes argento, auroq; micantes,
Gemmaſque, & miris aurea vaſa modis.
Explicat, hæc reddunt iubar ad faſtigia tecti,
Vt percuſſa ſolet ſidere ſolis aqua.
Anulus hic inerat licet inter mille iaceret,
Quem domini menſas ter repetiſſe ferunt.
Alter habet Muſas, & Pœbum plectra mouentem
Qui poterat digitos Pyrrhe decere tuos.
Et lapis unus erat fuluo circumdatus auro,
Quo Strumæ merito filius exul erit.
Vinoq; in menſis quem ſi tenuiſſet Amator
Viciſſet Bacchum non Cleopatra ſuum.
Veſtibus ornatus talis non affuit illis,
Quas tulit Aſcanius naue iubente Patre.
Has Tyrius murex, illas bis purpura veſtes,
Has tinxit cocci graminis herra rubens.
Palladis (has aliquis videat) vel forſan Aracnes
Siue Semiramium dicere poſſet opus.
Hanc depinxit acus, ſed pars eſt pectinis illa,
Materiamq; ſuæ quælibet artis habet,
Suntq; Mios Phidiæq; manus, ſunt Mentoris artes,
Et ſtat Praxitelis, ſtatq; Mironis opus.
Mille iacent rerum ſpecies, & mille figuræ,
Vna tamen tantis gratia rebus ineſt.
Et ſtupor inſurgit diuerſa tuentibus unus,
Illa, vel illa nihil pluſue, minuſue mouent.
Hæc poterant magni claros ornare triumphos
Pompeij, & miris curua theatra modis.
Aſſurgunt, harumq; petunt miracula rerum.
Et timida gaudent vertere queq; manu.

Primaq;

Primaq; reticulum baccatum in fronte locauit
  Virginia, & deceat, conueniatq; rogat.
Pone inquit Nutrix, non est tua tanta facultas,
  Vt tibi de tantis spes sit habenda bonis.
Pauperibus spectare licet, sperare nephandum est;
  Has videat pauper, non tamen optet opes.
Dij parcant, quod nam dixti? Sine cuncta reuoluat,
  Quod iuuat arbitrio Filia sume tuo.
Hæc dictans Prosilla capit segmenta, Puellæq;
  Induit, ornatus datq; locatque suos.
Mox ait, ò quantum ista decent, si facta fuissent
  Ista tuo lateri non magis apta forent.
His, alijsq; Deus bene te permittat habere.
  Hæc tua sunt, & erunt plura futura tua.
Hæc ubi dicta dedit; paulo seducta vocauit
  Harpalicem, tali voceque verba dedit.
Harpalice plus me scis, quam te semper amaui,
  Et te Germanæ scis habuisse loco.
Hoc ego non aliter certe tibi consulo, quam si
  Esses visceribus Filia nata meis.
Hæc mihi sors utinam tempus venisset in illud,
  Quo poteram multis fortè placere viris.
Fortunam tu nosce tuam, raptamque capillis
  Astantem ante fores in tua tecta trahe.
Nil opibus melius, nil est & sanctius illis;
  Diuitias dicunt sanguinis esse loco.
Hæc, & plura etiam multo potiora dabuntur;
  Tu modo non aliquo crimine prode Virum.
Te dare Virginiam poscit Rex Appius. Vltra
  Non passa Harpalice est verba prophana loqui.

Mille

Mille manu digitos, & mille in quolibet vngues,
Et mille indoluit non habuiſſe manus.
In vultum inſiluit, digitoſq; in lumina merſit,
Increpitanſq; uncis unguibus ora ſecat.
In faciem librat Libros, & pectore veſtes
Virginia abrupit, cunctaq; iecit humi.
Seruaq; cum Nata pugnat, luctantur in unum;
Vim ſeruæ ratio, reſq; domuſq; dabat.
Audijt ut fremitus vicinia tota tumultu
Concutitur, tectis, proſiluitq; foras.
Hæ male collectis opibus turbantur ab altis
Scalis, incertis effugiuntq; vijs.
Infantum inſequitur populus, crepuere retunſa
Saxaq; cum ſaxis cum manibuſq; manus.
Artificium laxis reſonant tabulata tabernis;
Ora crepant, fiunt ſibila mille modis.
Impulſæ ad ripas ſaltant in Thybridis undas
Siue pudore actæ, ſiue timore magis.
Vtq; aures ſubijt Claudi diffuſa per Vrbem
Fama; velut ſerpens Sole refecta furit.
Et merito (clamat) totiens ego ſtultus, inerſq;
Tentaui vana vota tenere prece.
Apta mihi vis eſt, mihi vis dedit omnia, viſq;
Hoc dabit, adijciam vela, tegamq; nephas.
Seuocat hinc Marcum, qui quod ſceleratior eſſet,
Ante omnes Regi carior unus erat.
In thalamo obcludunt ſe ſe, longoq; loquuntur
Sermone, & mirum compoſuere dolum.
Iam tandem exierant, & mox res acta fuiſſet,
Si non inſtaret nox moriente die.

Iam

Iam roſeas mane orta fores Aurora reſoluit,
 Sidera fugerunt de ſtatione poli.
Exijt ille ferox ſcelerum fabricator ab aula,
 Et ludum obſeruat ſic, ut ouile lupus:
Illa ſed ante parum venit tutata lucerna,
 Dumq; canit, cantus barbarus aure capit.
Grammaticæ quondam fuerant celeberrima ludis
 Lecta loca, & claro nobilitata foro.
Et tum Doctores pariter nutribat, & artes;
 Magnus honos, nec ſpes vana laboris erat.
Nunc in fornicibus ruptis fædiſque cloacis
 Abiectum legimus, ridiculumque genus.
Nos facimus noſtros fama perijſſe Tyrannos,
 Quod nos fecerunt deperijſſe fame.
Inſpice ſi quemquam celebrent mea ſcripta meorum,
 Et faciam viuos morte perire ſua.
Tertia compoſitis finem dedit hora Libellis;
 Cuilibet ire domum libera facta via eſt.
Iamq; omnes ierant, ſed reſtitit vltima tantum
 Virginia, & lentas innuit una moras.
Me miſeram exclamat Nutrix, quod limine retro
 A primo reuocas, terque, quaterque pedem?
Somnia me terrent, fuit hoc in limine, dixit,
 Quæ mihi morderet vipera viſa pedem.
Quid mihi non dixti, cum te ſopor ipſe reliquit,
 Anteq; calcaret, quam tua planta ſolum?
Hæc, cape verbenas, dextra cape maſcula thura
 Ter ſpue, ter, dicas peſſime Somne vale.
Vt tetigit limen, læſo pede corruit omnis,
 Vnaq; pars veſtis poſte retenta fuit.

Sulleuat

Sulleuat hanc Nutrix, Marcusq; leuare parabat,
Hæc vetat, & nulla dixit egemus ope.
Ille tonat, Domino mihi quid mea iura vetatis?
Hanc mihi nam peperit iam mea serua domi.
Hæc ait, & dextram iniecit, prænsatq; capillis,
Cogit & ante suos currat, eatq; pedes.
Virgo stupet, queriturq; & toto palluit ore.
Cuncta timet, quid sit nec tamen illa timet.
It gemitus, stridorq; grauis Nutricis, ad auras,
Nec tamen abduci, nec sinit inde trahi.
Hæc miseranda manu trahitur, retinetur ab illa,
Ireq; (quid faciat) retro, nec ante potest.
Agnaque non aliter trahitur, cum cernimus ambos
Pastorem caudam, guttur habere lupum.
Magna manus plebis violento mota pudore
Nutrici, & Seruæ, Virginiæq; fauet.
Illo iura die Solio reddebat ab alto
Appius, & populo distribuebat onus.
Lictores circum increpitant, quid Regna tumultu
Vertitis, & sacrum voce strepente Forum?
Sunt iura, ad sanctum simul omnes ite Tribunal,
Ius dabit, atq; aliquam non violare sinet.
Non impune feret, scelerisq; immunis abibit,
Qui fuit hanc ausus corripuisse manu.
Sic ut erant, omnes sanctum petiere Tribunal,
Appius, hæc quidnam Filia luget, ait?
Sic prima Harpalice, fuit hic prensare capillis
Ausus, & huic medio vim quoq; ferre Foro?
Appius hunc, inquit, rapite; excruciate nephandis
Tormentis, dura cogite morte mori.

Vincitur,

Vincitur, vinctusq; rogat duo verba licere
  Effari, fandi copia parua datur.
Non possum esse reus de vi, raptuue, doloue,
  Nullius est per me facta rapina rei.
Res mea serua mea est, hæc est mea serua proboq;
  Quod sit ab ancilla iam mihi nata mea.
Mox iubet auelli vinclis, soluiq; cathenis
  Appius, in primo restituitq; loco.
Heu quantum discrimen, ait, miserande subisti.
  Si quo peccasses crimine, nullus eras.
Iamq; age (ne dubita) dic iam tua iura, Tribunal
  Hoc ius victori, iudiciumq; dabit.
Exoritur clamor Plœbis, Matrumq; Nurumq;
  Iudicium nullo vindice turpe dari,
Expectare rogant, veniant dum forte propinqui;
  Aut Auus, aut aliquis, cui noua Sponsa foret.
Dum miscent lacrymas precibus, dumq; increpat alter
  Et queritur causæ, quod mora lenta datur.
Ecce manu Plæbis septus Numitorius infert
  Se medium, atq; ubinam stat mea Neptis, ait.
It mox Icilius iuuenum comitante caterua,
  En ait, en raptæ Coniugis ultor adest.
Non sumus in syluis, colimus nec lustra ferarum?
  Quis ve meam est ausus tangere, quis ve meam?
Quid furit hic? Quid vult? Quæ mens insana coegit
  In mihi possessis Bracchia ferre bonis?
Tum vero postquam retinere silentia cunctos
  Iussum est; Assertor talia voce refert.
Nil ego tentaui sceleris, nil turpiter egi
  Appi, nil nisi, quod lex mihi sancta dabat,

Hanc

Hanc Dominus, non prædo peto, mea iura repoſco,
Quo mea tu, Virgo diſce ſit iſta modo.
Eſt ancilla mihi, teneris quam Mater ab annis
Emit, in officijs ſtrenua, & apta ſuis.
Hanc adiens blandis grauidam Numitoria dictis,
Vt ſibi det quicquid ſit paritura, rogat.
Hæc ſpondet, parienſq; fidem ſeruauit, at illa
Suppoſitum peperit non bene facta Parens.
Et mihi ſperanti prolem, ſe dixit abortum
Enixam, & tempus non habuiſſe ſuum.
Non tamen hæc à me cœpit, captauerat ante
Alterius partum, ſuppoſuitq; ſibi.
Iam repetiſſet eum Dominus, ſed concidit infans,
Qui quondam Frater creditus huius erat.
Ipſa quidem ſterilis fuerat Numitoria, nunquam
Incaluit, vitio frigida ventris erat.
Meque diu latuere doli, ſub tempore longo;
Talia iam curas non ſubiere meas.
Tempora dum currunt, dumq; anno adiungitur annus
Indicio ſunt hæc inſinuata mihi.
Iamq; adeo teſtes habeo, multoſq; graueſq;
E que mea Serua diſcere multa licet.
Ad Leges venio, quarum ipſe miniſter, & author
Diceris, & ſancta relligione foues.
Matribus hæ Natos, non ſupponentibus, addunt,
Dant Dominis Seruæ, quos peperere domi.
His poſco Ancillæ reddatur Filia noſtræ,
Et dabo, ſi quiſquam vindicet ipſe vades.
Aut ſi quis celeri vult conditione referri,
Iam fiat, cauſam dicere promptus ero.

 Suplicio

Supplico ne tantum noceat iustissime Princeps
Quod pauper, quod sum conditione cliens.
Dixerat hæc Marcus. Numitorius inde secutus
Rettulerat tali verba diserta modo.
Huius Virginius Pater est, qui milite forti,
Absens pro Patria fortia bella gerit.
Mater erat, Fatis Numitoria rapta, nec ullam,
Moribus, & vita credo habuisse parem.
Filia nunc hæc est, ciuisq; & libera, nata,
Icilio per nos est data sponsa viro.
Quod Soror est Mater, sum verus Auunculus illi,
A multis quamuis non ego dicar Auus.
Quid vult hic prædo? Siluit quid tempore longo?
Integra nunc annis quod sit, & apta, petit.
Nulla adeo tibi lustra vacant, nullæq; paludes
Pontinæ, in Syluis latro reside tuis?
Nullo iure rapis, sed si tibi iura fuissent,
Iuribus an nescis te cecidisse tuis?
Iamq; Pater, quandoque aderit, non ille Britannis
Pugnat, vix uno distat ab Vrbe die.
Ipse suam litem defendet, tempora liti,
Nulla damus, præter dum Pater ipse venit.
Da spacium reuocandi hominem, seruentur, & illi
Integra non ullo iura nouata modo.
Interea stabit sub me custode Puella,
Quod sum proximior, quod tua iura volunt.
Et vade non uno dabimus tibi pignora, Patre
Sistendi quo vis adueniente foro.
Dixit ut hæc, verbis à circumstante corona
Clamatur, fiat, non nisi iusta petit.

Tum

Tum vero paulum subsedit, & ora resoluit
Appius, & tali voce locutus ait.
Quanti libertas mihi sit, mea iura loquuntur,
Et quantum auxilij, præsidijque feram.
Lex mea nota mihi est, per meq; immota manebit
Quod libertati, quod fauet illa Patri.
Quod si Virginius, quem tu Patrem asseris esse,
Afforet, hæc illi Virgo locanda foret.
Sed quod abest, aliquid damni ne sentiat Actor,
Et causa fiat ne meliore Reus.
Tu cape, tuq; manu Numitori trade Puellam,
Sistendiq; Vades tu tamen ante dato.
Sitque dies concessa tuo non amplius una
Virginio, atq; adsit me residente Foro.
Tum vero astantes clamorem ad sidera tollunt,
Iniustumque vocant, iudiciumq; graue.
Aggeritur fremitus gemitu, & clamoribus ira
Fluctuat huc illuc plebs velut unda maris.
Ante omnes effert se se toto agmine primus
Icilius, cedit turba, daturq; locus.
Exclamat quis me, quis me viuente Puellam,
Hanc ducet ? Quis vult tangere, quis ve petit?
Hinc, Appi, tibi sum ferro ve, igniue mouendus,
Vt tacitus referas quod tibi mente sedet.
Hæc est pacta mihi thalamo, ducamq; pudicam,
Nil agis, à voto spes tua vana cadet.
Solue age iam leges, libertatemq; Tyranus
Tolle, ferat sceleris nulla libido modum.
Et cum virginibus, matresq; nurusq; maresq;
Per fora, perq; vias, per loca cuncta rape.

Collige Lictores; fasces, sæuasq; secures
Expedias; cedam non nisi morte mea.
Quid non ante oculos, quid non hic ante tribunal
Hanc animam perdis, quid mora lenta tenet?
Virgo domum non hæc aliam quam Patris adibit,
Me viuo, & dum me spiritus iste reget.
Mors mea principium (speres) quod forte parabit
Siue boni, seu quod non puto, forte mali.
In tergum, nostrumq; caput sæuire licebit;
Sancta Pudicitiæ sit sua tuta fides.
Hanc (bene perspicias) si vis, si iniuria lædit,
In te homines, in te sollicitabo Deos.
Hoc tu decretum nostra sine cœde referre
Non poteris; non si terra, polusq; velit.
Inspice, tuq; tibi, tecum tua vota voluta;
In quod tute Appi progrediere, vide.
Cedat Virginius, linquat sua iura, resoluat
Morte prius, quam me deserat ipsa Fides;
Talia iactantem, & tentantem plura cohercent
Dicere Lictores, & reticere iubent.
Vna in raptores tendunt clamoribus omnes,
Iam pronum in pugnam, bellaq; vulgus erat.
Appius extimuit, fieriq; silentia paulum
Voce, manuque rogat, taliaq; orsus ait.
Non equidem indignor; si quis sua iura tuetur;
Si strepat, & toto garriat ille foro.
Materiam Icilio spiranti ad magna negabo,
Succidam orditum seditionis opus.
Ius hodie non do, sed facta infecta relinquo
Differet hic hodie, cras sua iura petet.

Hoc ego Virginio, libertatiq; retexo;
  Ne gratare tibi, gratia nulla tua eſt.
Ducito prognatam Numitori, iure relato,
  Obſidibus magnis ſed tamen ante datis.
Cras ego non alijs lectis Lictoribus omnes
  Sedabo lites, iudiciumq; dabo.
Dixerat, & Sellam tolli iubet, inde recæptus
  In thalamum triſti corda dolore premit.
E manibus queritur, captam, quod miſerit agnam,
  Indeplumatam quodue reliquit auem.
Si redit in caſſes (iurauit) præda retentos,
  Quod foret, è manibus non abitura ſuis.
Vt ſatiare ſolet ſe lignis ignis, iniquus
  Sic ſolet aggeſtis ſe ſatiare malis.
Vi ſtatuit ſubito rapere, & defendere raptam
  Seq; omni poſito milite parte Fori.
Inde duos celeres vocat, & mandata vocatis
  Tradit, & in caſtris dent iubet illa Duci.
Dux erat in caſtris, ſed tunc Antonius illis,
  Sub quo Virginius Principe miles erat.
Vinciat hunc mandat vinclis, duriſq; cathenis
  Nec ſceleris cauſam dixerat eſſe leuem.
Sed ſolet extremis aliquid ſuccurrere rebus,
  Et fœlix ſemper non ſcelus eſſe ſolet.
Prouida iam Sicci caſtris excedere iuſſit-
  Vmbra prius; caſtris ceſſerat ille ſuis.
Occidit Antoni Romæ mihi dixit amicus,
  Quo mihi non ullus carior alter erat.
Ibo, ſed officium te concedente, reuertar
  Ante tamen, quam bis occidat orta dies.

Quod petijt, tenuit, mora non datur ulla, citatos
  Ad quartum lapidem vectus adegit equos.
Icilij frater, Numitori filius illic
  Obuius occurrit mæstus uterque viro.
Illis Virginius quærentibus addere verba
  Nota mihi sunt hæc; carpite, dixit, iter.
Hac diuertamus, non qua venistis eundem est;
  Ne forte insidias, ante ve, post ve parent.
Et iam nox instat, nos ire per auia noctu
  Cogimur; ad Lunæ lumen agemus iter.
Redditur ante diem paulo, sed epistola Claudi
  Tardior; effectum non aditura suum.
Mox instructus equis, instructus miles, & armis
  Mittitur, ut reuocet, conueniatq; Virum.
Atque alios etiam præmiserat Appius urbe
  Egresso insidijs impediatur iter.
Ille urbem iam ingressus erat, venisseq; Regi
  Cum primum dictum est, obstupuisse ferunt.
Venerat in lucem Plebs, & stipauerat omni.
  Parte Forum, fremitus, grandeq; murmur erat.
Vt maris huc, illuc fluctus, sic vnda Virorum
  Fluctuat, & versa turba redundat aqua.
Ecce Forum ingrediens pallenti squallidus ore
  Virginius natam ducit, agitq; manu.
Sordida vestis erat, male sarcta, & marcida filo,
  Dignaq; erat luctu, tristiaq; toga.
Fit via, subsequitur comitantum turba suorum.
  Itur per lacrymas, per gemitusque graues.
Appius armari iubet, & loca celsa cohortes
  Munire, & latis compita secta vijs.

Iamq;

Iamq; Fori obsessas fauces ferus ense corusco
Miles habet, ferro statq; parata phalanx.
Et iam armis septus scandit sublime Tribunal.
Hinc, illinc densus tela Satelles habet.
Mox eadem repetit Marcus, iurareq; testes
Cogit, & in causa, quæ latuere loqui.
Omnia concordi respondent voce sub ipso
Tempore, subq; hora, conueniente loco.
Virginius, puresq; alij, quos duxerat, instant,
Compositos testes falsa, & inepta loqui.
Omnia reijciunt, soluuntq; obiecta, tenentq;
Asserta, & referunt quæ ratione probant.
Matronæ, grauidam, parientem, & lacte virentem
Indicijs certis asseruere graues.
Hæc, & plura etiam tentantibus Appius inquit,
Desinite, ista diu res mihi nota fuit.
Et magis ista mea res est mihi cognita, nullis
Indiget indicijs res manifesta suis.
Discite; iamque mihi moriens in morte reliquit
Hunc Pater, & dixit sit precor iste tuus.
Hæc domus antiquis nobis seruiuit ab annis,
Anteq; quam starent hoc mea tecta loco.
Indiciumq; aliquis mihi tempore fecit in illo
Suppositi, patuit credita vera fides.
Me quoniam interea non hæc tractare decebat
Tempore permisi cuncta iacere suo.
Ius aget ipse suum dixi, maturior ætas
Cum veniet, partes suscipietq; suas.
Iam mihi, qui rebus tot sum ciuilibus actus,
Fugerat ex animo res aliena meo.

Iam

Iam grandis censusq; suos, & iura requirit,
Quæq; suæ fuerant undiq; cogit opes.
Hæc quoq; quærenti, quod sit sua serua, relatum est,
Vtq; mihi patuit, sic patet esse suam.
Iusta petit, iustum est, sua reddi iusta petenti,
Seruiat hæc Domino, censeo, Serua suo.
Tum vero ingentes gemitus miscentur, & ingens
Fœmineus surgit clamor, & astra ferit.
Ecce manu prædam Marcus capere ipse parabat
Hæc Matrum tentat veste, sinuq; tegi.
Sed tum Virginius flamma commotus, & ira
In faciem Regis talia verba iacit.
Te Dij, teq; homines perdant turbator honesti,
Virtutisq; hostis, non satiande malis.
Icilio, non hanc dedimus tibi, lege iugali
Non scelere, aut stupro est associanda Viro.
Quid non tentasti? Potes has ne negare tabellas
Esse tuas, digitis, verbaq; scripta tuis?
Desieras quoniam spurias submittere Lænas
Harpalice, & donis sollicitare datis?
Tuq; Appi, non Marco agit, scio fraude, doloq;
Retia te medijs disposuisse vijs.
Tu Iudex, & raptor eris? Tu pessime Natam
Emanibus velles, e gremioq; meo?
Non sic abduces, opus est hac sorte relinqui,
Vel mihi morte tua, vel tibi morte mea.
Hi gladios cincti nunquam patientur inultum,
Iam iam spargeris per loca mille lacer.
Hæc ait, & vultu toruo stetit. Appius inquit
Et contra soluit talibus ora modis,

Testis

Teſtis Roma mihi eſt, quæ nunc mihi, quæq; fuere
 Heſterno Icilij dicta proterua die.
His ego non moueor, nec vilia verba rependo.
 Non videt errorem ſtultus uterq; ſuum.
His minimo poſſum ceruicem tollere nutu,
 Ante pedes, ſi non ceſſat, uterq; cadet
Et decies oculos clauſi, neſcireq; finxi.
 Quos in me ſtruitis, dirigitiſq; dolos.
Noui ego quæ ſeritis, quæ nocte, dieq; paratis,
 Et quod tentatis ſeditionis opus.
Deſinite, & motam Plebem reuocate, nec ultra
 Turbare Imperij quærite Regna mei.
Quæ ſunt arma domi, quæq; hic, & in arce videtis
 Et quantis miles viribus arma tenet.
Externis non ſunt hæc hoſtibus arma parata,
 Sed vobis, ſi iam non licet eſſe mihi.
Quiſq; ſibi videat, ſeſeq; expendat, & hoſtem,
 Ne fruſtra aggreſſus pœnituiſſe velit.
At vos ite, quibus nihil eſt, hic eſſe neceſſe;
 Qui ſapiet, vitæ conſulet ipſe ſuæ.
Inde; moue turbam Lictor; duc Marce Puellam,
 Et trahe per medium me tribuente Forum.
Tutus eris; bis ſex comitatus Faſcibus ibis;
 In te quis poterit dicere? Tutus eris.
Hæc ait, & ſubito ſe tollere turba parabat.
 Sponte aperire Forum, cedere ſponte loco.
Sed tum Virginius, cum Plebem horrere videret,
 Et reuocare pedem, talia voce refert.
Dux Appi miſerere mei, miſerere fatentis,
 Si qua tibi dixit cura, dolorq; Patris.

Da

Da mihi posse loqui, caramq; abducere Natam
  Ad loca, quæ fuerint proximiora Foro.
Solus, ut ex ipsa, simul, & Nutrice requiram,
  Si fuerim verus, suppositus ve Pater.
Annuit. Hic Natam subduxerat ante tabernam
  Huc ubi iam Lanius dilaniabat oues.
Surripuit gladium, cœcaque in veste recondit,
  Quid facies? Pater es, Filiaq; ista tua est.
Tum vero abductæ Natæ dedit oscula; tersit
  Lumina; sic gemitu substinuitq; loqui.
Nata tui infausti pignus miserabile Patris.
  Nata meus luctus; Nata meusq; dolor.
Quo me, teq; tuus casus miserandus adegit?
  Nil mihi consilij, nil mihi restat opis.
Te ne Pater perdam; Pater exaurire cruorem
  Nata tuum potero; sufficient ne manus?
Nata; salus in morte tua est; non serua peribis.
  Ibis, & ad Manes libera virgo tuos.
Hunc Appi (& ferrum nudat) tibi libo cruorem;
  Hoc ego deuoueo, teq; caputq; tuum.
Dixit, & auertit faciem, pectusq; pudicum
  Fixerat, illa Patris concidit ante pedes.
Venimus ad portus, remos lege, collige lina
  Fune liga, fessam Nauita siste ratem.
Disce tener tenera puer hac ætate doceri,
  Ordiriq; tuo tempore disce senex.
Vaticinor; toto nunquam moriemur in æuo,
  Dum Cœlum stabit, Terraq; semper ero.
Pacifico nomen fiet delebile nunquam,
  Viuet post cineres fama relicta meos.

Corpore

Corpore cum ſoluar, cum carcere liber abibo,
  Tum ſuper & Cœlos, & ſuper aſtra ferar.
Adiungarq; Deis, & menſa, & ſede Deorum,
  Ambroſia, & Nectar tum mihi potus erit.
Extruat hic turres, æquetq; palatia Cœlo;
  Occidet, & nullo nomine viuus erit.
Coloti mecum ſtabit tua fama perennis,
  Nec te delebit flamma, nec ignis edax.
Aſculum in hoc etiam viuet mea patria, debet
  Hæc mihi quod nota eſt, huic ego quod genuit.

Impreſſum Fani Anno gratiæ. M. ccccc. vi.
Per Hieronymum Soncinum.
Deindè Parmæ, Apud Galeatium Roſatum M.DC.XCI.
Superiorum conſenſu.

Prior numerus indicat Paginam, Posterior versum, seù lineam.

Menda sic Emenda.

Pagina	Versus	Menda	Emenda
6	8	e, q;	æque
6	21	fuit	fuit his
9	13	media	velim media
9	15	fian	fiant
14	11	qui	quid
14	13	quiue	quidue
26	20	filua	fylua
32	11	læta	læsa
32	23	ficut	fic, vt
32 in Postilla 2.		vul.	vulgo
ibidem	4.	Murum	Murcum
33	16	omnia	Omina
35	8	vnque	vngue
46	27	viuat	viuet
47	27	mitaris	mitaris
49	27	propere	propera
56	6	ferret	feret
62	8	faciet	facit
68	23	quæ	quam
71	27	qui	quod
73	23	quisq;	quisquam
74	29	quod	quam
79	20	que	quæ
83	4	qui	quod
84	13	quem	quod
84	17	ioqendi	loquendi
85	1	qui	quod
85	3	quid	quod
85	4	quid	quod
86	15	quo	quod
87	9	ite	ire
89	28	quæ	quod
96	6	quæ	quam
101	15	qui	quod
ibid.	6	quæ	quam
ibid.	6	quæ	quam
107	10	fuerat	fuerant
116	17	iedas	lædas
122	17	qui	quod
ibidem		qui	quod
123	17	qui	quod
128	23	qui	quod
135	16	tentare	tentate
137	28	pro	per
138	18	quæ	qui
139	5	censua	censu
142	20	qui	quod
145	18	quo	quod
147	7	Villicusore	Villicus ore
149	21	qui	quod
149	28	æquus	equus

Menda sic Emenda.

Pagina	Versus	Menda	Emenda
153	11	qui	quin
154	21	corcordes	concordes
157	19	reger	reget
158	13	quam	quod
ibidem		quam	quod
162	11	progagentur	propagentur
164	14	qui	quod
166	15	consilijque	consilijsque
168	9	fuspiret	fuspices
ibidem		quæ	quod
170	9	III	IIII
173 in vtraque Postilla		seguentes	sequentes
174	3	quam	quas
176	10	eiungat	elongat
176	21	liquæscit	liquescit
177	9	quid	quod
181	3	iuuenalia	iuuenilia
182	14	dedi	dedit
185	1	tremusse	tremuisse
185	11	nomina	nomine
186	26	Troiugenas	Troijgenas
182	12	plæbi	Plebi
182	17	etas	ætas
200	23	mulier	mulcet
203	3	afferes	afferres
206	6	quo mihi quoq; tibi	quod mihi, quodq; tibi
209	14	pari	Pari
213	15	pectebet	pectebat
216	14	Aidea	Ardea
227	12	quæ	quod
230	7	Dei	Dei est
233	9	recta	tecta
238	13	petij	petijt
245	8	opus	opes
246	11	fœmina	fœminea
269	11	qui	quod
270	16	residuum	Residum
271	26	decus	locus
272	17	persternit	prosternit
275	12	Expelebunt	explebunt
276	21	omnis	omnes
ibid.	22	equos	Æquos
279	8	scis	sis
279	21	ferer	feret
281	12	ingredere	ingrediere
285	15	Artificium	Artificum
288	13	Plæbis	Plebis
296	21	Marco	Marcus